JAHRES-BERICHT ÜBER DIE VEREINIGTEN ANSTALTEN DES KÖNIGL...

Königliches Friedrich-Wilhelms-Gymnasium (Berlin, Germany)





Zu

den Schul-Feierlichkeiten,

welche in

dem Königlichen

Friedrich-Wilhelms-Gymnasium


Mittwoch den 28. September d. J.

Statt finden werden,

ladet ehrerbietigst ein

der

Director Ranke.



Voran geht: A. W. Zumptii de Livianorum librorum inscriptione et codice antiquissimo Veronensi commentatio.

Berlin, 1859.

Druck von A. W. Hayn.

DE

LIVIANORUM LIBRORUM

INSCRIPTIONE

ET

CODICE ANTIQUISSIMO VERONENSI.

1*

Saeculo quarto p. Chr. n. res Romanas cum superiorum temporum calamitate atque incredibili discordia prope perissent, mirum est aliquamdiu recreatas et otium domesticum et vetus imperium recuperasse atque ita convaluisse, ut, si vel civium multitudo sufficeret vel barbarorum impetus remitterent, perpetuae esse posse viderentur. Neque causa restitutae pacis ac potentiae ex imperatorum ingenio aut constantia est repetenda, ex quibus qui magno animo extiterunt atque insigni prudentia, si eandem aetatis suae indolem habuissent, qua antea respublica dilapsa erat, parum profecissent, nec dominationis ratio ad Asiaticarum gentium morem instituta, etsi incertissimam imperii successionem emendavit ac quicquid ubique virium relictum erat, continebat, tantam rerum conversionem attulit, sed hoc imprimis illi saeculo profuisse crediderim, quod Christianorum doctrina libere propagari coepta animos hominum excitavit prioremque inertiam sustulit. Sic non modo qui nova amplectebantur, victoria ipsa ac spe inflammabantur, verum etiam qui veterum opinionum amici erant, ad resistendum acuebantur. Quorum quidem duo maxime erant genera, unum hominum fere ruri viventium, qui cum dudum aliarum rerum studia deposuissent, pertinaciter tamen antiquum morem retinebant, alterum nobilitate ac divitiis praestantium, qui quibus rebus imperium olim crevisset ac tantum factum esset, iisdem corruentem potentiam sustinendam esse existimabant. Utrimque igitur magna ingenia extiterunt, quae quod certamen ab diis deorumque cultu ortum erat, cum ad alia studia, tum ad litteras transtulerunt; in iis enim et Christiani ad probanda sua praecepta et veterum sacrorum cultores ad antiquitatem commendandam maximum momentum situm esse intelligebant. In quo certamine exeunte saeculo quarto excelluit Q. Aurelius Symmachus, vir et inter suos magnus nec nobis contemnendus, qui quantum per legum severitatem imperatorumque non dubiam voluntatem licebat, quicquid antiquum erat, deos sacra litteras si non propagare, at tueri ac conservare studuit. Cuius epistolas et orationes nemo nunc erit, qui aut eadem laude dignas esse iudicet, qua antiqui Latinitatis auctores afficiuntur, aut nobis imitandas proponere velit, multumque sine dubio cedit ei ipsi,

quem vitae ratione et oratione et librorum genere exprimere cupiebat, Plinio iuniori; sed quod eundem aemulatus cum dignitate opibus amicitiis plurimum valeret, scriptores antiquos, quorum memoria inter homines et servitute ac multiplici calamitate oppressos et aliis longe studiis deditos iam interire coeperat, renovare ipsosque describere ac posteris tradere instituit, hoc vix satis a nobis potest praedicari. Quid enim futurum fuisse censemus, si illa aetate, qua et apud eos qui docti viderentur, Latinitas florebat, et omnium qui fuerant scriptorum magna ac facilis ad comparandum erat copia, contemni coeptae essent litterae? si libri ipsi vel neglecti perissent vel nulla cura descripti iisque vitiis, quae quattuor fere saeculis post imperitissimorum hominum ignorantia genuit, infecti essent? Nunc cum adversarii tantopere litteris antiquis niterentur, ne Christiani quidem, si illis pares esse vellent, negligendas eas esse videbant earumque si non scientiam, at studium quoddam retinuerunt, dum barbaris undique irruentibus tamquam communi ruina sepultae iacere coeperunt. Quamquam parum certis haec vestigiis persequi licet. Nam Symmachus ipse, ut sunt eius epistolae rerum inanes totaeque ad ostentationem, non ad usum compositae, paucissima tantum significat, alii autem qui idem narrent scriptores non supersunt: quare omnis prope eius generis memoria ex subscriptionibus codicum manuscriptorum petenda est, de quibus L. Lerschius in museo paedagog. Rheno-Westphal. ann. 1845 p. 229, tum et copiosius et accuratius Otto Iahnius in Act. societ. reg. Sax. litter. ann. 1851 p. 327 disputarunt. Neque nos hoc loco quae viri doctissimi exposuerunt, repetemus; cupimus enim non de universo genere, sed de uno T. Livio dicere, cuius libros Symmachi amicorumque eius opera descriptos ac conservatos esse constat.

Quod antequam faciamus, pauca de ipso T. Livii instituto praemittenda esse putamus, qua ratione historiarum libros ediderit atque in manibus hominum esse voluerit: qua in re ab eo proficiscemur, quod Hieronymus Livium anno 17 p. Chr. (770 ab urb. cond.), quo eodem P. Ovidius poëta obiit, decessisse tradit. Quo quidem natus sit, non constat; nam Hieronymus idem in Eusebii editione Scalig. annum 59 a. Chr. (695 ab urb.) nominat, in editione Ang. Maii annum 57. Est igitur biennii differentia, quae quomodo acciderit, non examinabo; nam et levis est et ad eam quae proposita est, quaestionem parum valet. Iam tantum opus, quod, si minimum sumamus, centum quadraginta libros complecteretur, uno tempore totum esse editum atque in hominum manus pervenisse parum per se ipsum est probabile. Ne nostra quidem aetate, cum talia facilius ac celerius scribuntur, id fiat, nedum in antiquitate quod ab rei natura abhorreat, accidisse statuamus. Ac paulatim nec uno tempore editam esse Livii historiam certo testimonio Plinii in naturalis historiae praefatione constat: *Profiteor mirari T. Livium auctorem celeberrimum in historiarum suarum, quas repetit ab origine urbis, quodam volumine sic orsum, satis iam sibi gloriae quaesitum et potuisse se desidere, ni animus inquies*

pasceretur opere. Gloriae igitur satis ille sibi quaesitum esse putabat, nimirum edendis historiarum libris, quos cum vulgo homines admirarentur ac magni facerent, celebrabatur, cum interim ipse plura scribebat laudemque partam augebat. Eodemque pertinet, quod Plinius epist. II, 3 Gaditanum quendam narrat T. Livii nomine gloriaque commotum ad visendum eum ab ultimo orbe terrarum venisse statimque ut viderat, abisse, quod quando factum sit etsi nescitur, nisi tamen operis, quod ad extremam senectutem perduceret, magnas partes iam ante esse editas auctorique gloriam comparasse statuamus, vix intelligatur.

Diximus de editione, sed scriptos etiam esse tot libros non paucis annis, sed per longum temporis spatium non dubiis argumentis ex Livio ipso petitis perspicitur. Nam libr. I, 19 narrans de Iano, quem Numa rex pace ubique composita clauserat, sic ait: *Bis deinde post Numae regnum clausus fuit, semel T. Manlio consule post Punicum primum perfectum bellum, iterum, quod nostrae aetati dii dederunt, post bellum Actiacum, ab imperatore Caesare Augusto pace terra marique parta.* Etenim Augustum bis vel ter constat Ianum clausisse (vide nos ad Mon. Ancyr. II, 42), primum prid. Id. Ian. anni 29 a. Chr. (725 ab urb.), iterum anno 25 a. Chr. Scripta igitur sint illa necesse est et postquam primum Augustus Ianum clausit et antequam iterum, i. e. inter annum 29 et 25 a. Chr., vel quoniam Augusti nomen Octaviano datum esse constat a. d. XVI Kal. Febr. anni 27, vel extremo hoc vel insequenti anno, qui fuit 26 a. Chr. Nec vero hanc de Iano clauso notam scripto iam libro insertam, sed in perpetuitate orationis scriptam esse arbitrabimur. Nam Ianum ab Augusto clausum esse sane potuit Livius absoluto libro adiicere, semel clausum esse addere non potuit, quin, si omnino quod postea accidisset inserere placeret, cum paucis annis post iterum clauderetur, ipse corrigeret. Eoque ipso tempore, quo primum ab Augusto Ianus clausus est, Livium historiam scribere coepisse facillime credemus; agebat enim tunc aetatis annum fere tricesimum alterum vel quartum, qua aetate studiis ac doctrina confirmatus tantam rem, quae reliquam deinde vitam expleret, rectissime videtur esse aggressus. Convenit etiam illud, quod saepe per primos libros calamitatem, quam bella civilia Romanis attulerant, commemorat, velut in ipsa praefatione *Ego contra hoc quoque laboris praemium petam, ut me a conspectu malorum, quae nostra per tot annos vidit aetas, tantisper certe dum prisca illa tota mente repeto, avertam*, quae nonne modo praeterisse bella civilia demonstrant? Similiaque sunt alia vestigia, quamvis levius impressa, velut IX, 19 de calamitate bellorum civilium, IV, 9 de malis, quae factionum studia reipublicae afferant, aliaque eiusdem generis II, 44; VI, 12; VII, 25 et 40, unde, quam recens in hominum animis tunc domesticarum discordiarum memoria fuerit, intelligas. Iam si circa annum 26 a. Chr. coepit scribere Livius, quoniam extremo libro res anno 9 a. Chr. gestas narrat, necesse est certe septendecim annos scribendo consumpserit, sed, cum usque ad senectutem

scripsisse dicatur decesseritque anno 17 p. Chr., longe eum plures annos in historiis componendis consumpsisse est probabile.

Quamquam aliae temporum significationes per eos, qui extant, libros rarissimae sunt. Plures fuisse existimo in iis, qui perierunt, quorum illae tantum, quae periochae appellari solent, supersunt, siquidem cum ad aetatem sibi vicinam pervenisset, Livius ut suas aequaliumque suorum res commemoraret, facilius adducebatur. Sed in iis quae habemus non dubium temporis indicium reperitur libr. IV, 20, ubi de spoliis opimis narrans duas has res affert, primum aedem Iovis Feretrii ab Augusto restitutam esse, deinde omnium templorum Augustum vel conditorem vel restitutorem fuisse. Ex iis rebus illam Attico auctore factam esse scribit Cornel. Nep. in vita Att. c. 20 i. e. ante annum 32 a. Chr., quo Atticus decessit, hanc accidisse anno 28 a. Chr. tradit Dio Cass. LIII, 2, cum Augustus censura suscepta omnes aedes sacras, quae per bellorum civilium calamitatem dilapsae erant, restituere aggressus est. Incerta autem est illa significatio, quae libr. IX, 36 reperitur, cum silvam Ciminiam ait olim magis inviam atque horrendam fuisse quam *nuper* fuerint Germanici saltus. Hoc fuerunt illi quidem, qui ad Drusi expeditiones pertinere censerent, sed rectius nunc viri docti consentiunt et Germanicos saltus et nuper et quod cognosci paulatim nec amplius horrendi videri narrentur, tam incerta sententia dici, ut quicquam ex eo colligi posse negent. Nam et M. Agrippa anno 38 a. Chr. et alii post eum Galliae rectores viam Germaniae patefecerant eaque ut in Romanorum notitiam veniret, effecerant. Certiorem autem significationem quae libr. XXVIII, 12 sunt, exhibent: *Itaque ergo* (Hispania) *prima Romanis inita provinciarum*, *quae quidem continentis sint*, *postrema omnium nostra demum aetate ductu auspicioque Augusti Caesaris perdomita est.* Haec enim ad annum 25 et 24 a. Chr. pertinent, cum primum ipso Augusto duce, qui Tarracone octavum consulatum inierat, tum, postquam Augustus morbo impeditus recessit, C. Antistii et T. Carisii legatorum opera Astures Cantabrique devicti devictisque coloniae impositae sunt (Dio LIII, 25 et LIV, 5). Illam quidem quorundam Cantabrorum, qui prioribus bellis capti venierant, seditionem, quae anno 19 ab M. Agrippa compressa est (Dio LIV, 11), eam ob causam non existimo dici, quod nec ductu Augusti extincta est et ad servorum tantum motus pertinebat. Quae tamen seditio si in bellorum Hispanicorum numero habebitur, quoniam Livius Augustum tantum, non M. Agrippam, illius tunc generum atque imperii socium, nominat, scripta haec esse iudicabo inter annum 24, quo Hispania recte videri poterat esse perdomita, et annum 19, quo contra opinionem omnium nova seditio exarsit. Neque ab veri similitudine abhorret, Livium, cum anno 26 opus aggressus esset, sex fere annis ad duodetricesimum librum pervenisse.

Intelleximus igitur per longum temporis spatium scribendis historiarum libris Livium fuisse occupatum, item non uno tempore totum opus esse editum, sed pau-

latim, ut absolveretur: quare recte faciemus, ut editionem ab ipsa scriptione non seiungamus, sed quo quaeque pars tempore ederetur, eodem quamque scriptam esse statuamus. Neque illud commemorabimus, quod Augusti aetate plurimi scriptores facere solebant, ut opera antequam ederent, publice privatimque recitarent. Quod num fecerit Livius nescitur. Recitarit sane vel apud alios vel apud ipsum Augustum, quem Suetonius c. 89 etiam historias recitantibus affuisse scribit, testimonium quidem eius rei nullum reperitur. Nam quod Tacitus Ann. IV, 34 Cn. Pompeium narrat a Livio tantis laudibus esse elatum, ut propterea ipse Pompeianus ab Augusto appellaretur, quae ad Pompeium pertinerent, ante mortem Augusti edita esse infra videbimus.

Consilium autem quod Livius in historia scribenda secutus sit vel quos fines sibi proposuerit, in praefatione haud dubie ipse significat. *Facturusne operae pretium sim*, inquit, *si a primordio urbis res populi Romani perscripserim*, *nec satis scio* sq., tum *res est praeterea et immensi operis*, *ut quae supra septingentesimum annum repetatur et quae ab exiguis profecta initiis eo creverit*, *ut iam magnitudine laboret sua*. Indicat etiam aliis locis, maxime libr. XXXI, 1, profiteri se ausum esse perscripturum res omnes Romanas. Initium igitur operis, ut historiam scribere coepit, sibi constituit, finem ad quem deducere velit, nusquam significat, nisi quod septingentesimum annum nominans ad suam se aetatem pervenire velle indicat: nec omnino ipsum annum, ad quem descenderet, videtur sibi praefinisse. Id vel ex iis verbis, quae a Plinio allata supra citavimus, intelligitur. Nam si licebat desinere, si animo tantum Livius ad scribendum impellebatur, nonne certum operis exitum nullum habebat? nonne quamdiu vel vires sufficiebant vel animus ferebat scripsit? Ferebat autem animus, ut quam diutissime scriberet: quare recte viros doctos statuere censeo, quod morte opprimeretur, factum esse, ut in anno 9 a. Chr., in quo periochae Liviani operis desinunt, auctor ipse substiterit. Quamquam ne hoc quidem constat, utrum in illo anno substiterit an plura scripserit; sed, cum nulla in periocharum codicibus lacunae significatio addatur, probabile est substitisse. Quodsi ad exitum Augusti pervenisset, Tacitus non videtur aliquando consilium vitae Augusti scribendae agitare debuisse; sin Augustum prorsus non tetigisset, ille certe non ab excessu, sed ab initiis Augusti coepisset; nunc cum partem ab Livio expositum, partem relictam esse videret, in re dubia quod commodum erat, elegit.

Hoc igitur cum consilium Livii esset, utrum sic executus est, ut temporis ordinem sequens antiquissima quaeque primum scriberet nec ad posteriora nisi absolutis prioribus perveniret, an, prout animus ferret, modo hanc modo illam aetatem tractavit paulatimque iis, quae interim relicta erant, supplendis, ut universam Romanorum historiam componeret effecit? Illa ratio rei ipsius naturae longe magis videtur convenire, nec tamen est necessaria. Velut Tacitus Flaviorum res prius

scripsit quam Iuliorum, quas cum addidisset, consilium, quod habuerat historiae ab Augusto ad suam aetatem deducendae effecit. Quamquam Livium primordia Romanorum prius quam reliqua scripsisse atque in maxima operis parte componenda temporis ordinem secutum esse, ex iis quae supra disputata sunt, constat; quaedam tamen an interim reliquerit ac postea, ne quid deesset, quasi supplerit, dubium videri debet. Etenim quod in periocharum Livianarum codice Nazariano libro CXXI praemittitur: *qui editus post excessum Augusti dicitur* quomodo interpretabimur? Si ita, ut omnes ab illo libros post mortem Augusti editos esse putemus, certe a verbis recedemus: omittemus etiam rei probabilitatem; nam triennio fere Livium viginti libros scripsisse non credimus. Supererit igitur, quod ipsa verba indicant, ut unus ille liber post excessum Augusti editus sit, ex iis, qui insequuntur, aliquot certe ante Augusti excessum. Causa interim relinquendi ac post supplendi quae fuerit, certo dici nequit, sed nec in negligentia quadam nec in rerum quasi difficultate sitam fuisse credemus. Potius, quae narranda essent, existimabimus eiusmodi fuisse, ut ea Livius si vere ac libere traderet, ne Augustum offenderet vereretur, idque quodammodo verba illa significant. Est enim *dicitur editus esse*, i. e. non Livius ipse rationem suam excusabat mortuoque Augusto illum librum se scripsisse narrabat, id quod si narrasset, non potuit *dici* esse editus, sed prorsus quando editus esset constabat, verum rumor erat hominum, fama ad eum, qui periochas confecit, propagata, cuius famae non intelligo quae causa esse potuerit nisi haec quod quae narrarentur, vivo Augusto non putarent potuisse narrari. Quid igitur illo libro continebatur? De C. Cassii imprimis rebus; nam quae de M. Bruto adiecta sunt, pauca sane videntur fuisse. Cassium autem vere principem coniurationis in C. Caesarem factae constat fuisse longeque omnium maxime timendum. Brutus nomen ille quidem habebat principis atque auctor caedis ostentabatur, idem postea dux erat partium ac primas gerebat. Sed Cassius tamen et bellica virtute et rei publicae scientia et odio tyranni longe praestabat, cuius fortitudine ac constantia libertatis causam imprimis defensam esse communi scriptorum testimonio audimus. Cremutium quidem Cordum Tacitus Annal. IV, 34 a Tiberio narrat eam maxime ob causam esse condemnatum, quod C. Cassium Romanorum ultimum dixisset. Laudaverat idem M. Brutum, sed illud quod de Cassio dixerat imprimis esse incusatum Taciti verba videntur indicare. Quid igitur? Si Brutum ferebat Augustus, si magni etiam propter morum quandam modestiam faciebat, at Cassium oderat celebrarique nolebat, num quid quod a probabilitate abhorreat, accidisse statuemus? Neque enim adeo aut naturae humanae aut reipublicae Romanae erimus imperiti, ut quidvis aut Augustum tulisse aut Livium dicere ausum esse existimemus. Fuerit Augustus amicus Livio, tulerit laudari Pompeium (nimirum etiam Caesar occiso dicitur illacrimasse), sustinuerit denique Brutum et Cassium cum honore ut insignes viros nominari: quaedam certe erant, quae ab amico scribi non

pateretur. Rursus Livius, quamvis libertatem ita servaret, ut nihil falsi traderet nec adversarum partium duces adulandi causa vituperaret, tamen non videtur non hoc potuisse amicitiae Augusti tribuere, ut quae sine offensione scribi non posse putaret, post excessum eius differret.

Veruntamen consilium Livii in opere condendo cum hoc fuisse intellexerimus, ut, quoad animus ac vires sufficerent, scriberet, nunquam ei contigit, ut totum quasi absolutum haberet tituloque rite ornatum in hominum manus emitteret. Quo magis per quas partes ediderit quaeri opus erat. Ac libros quidem commemorat libr. VI, 1, quos X, 31 et XXXI, 1 volumina appellat. Hanc igitur divisionem ipse suscepit. Sed singulos libros singillatim editos esse vix credemus; discerperetur enim nimis historia universitasque operis periret. Necesse est alia aliqua fuerit partitio per complures libros instituta. Ac nos quidem solemus decadum rationem sequi fueruntque adeo olim, qui toti operi nomen decadibus fuisse statuerent. Quae tamen opinio nunc non immerito a plurimis viris doctis contemnitur. Quam enim partitionem Livius edendi causa sequebatur, eam in communitate quadam rerum positam esse oportebat, ut iustum esset cuiusque partis exordium, iusta clausula: decades autem librorum Livianorum qui efficiet, saepe quae maxime inter se cohaerebunt, dirimet. Vix equidem fero primam decadem; nam liber X in bellis Samniticis desinit, in quibus iisdem liber XI pergit, ut libros primos decem qui separatim editos esse putet, quae coniuncta esse videantur, separet. Altera decas iustum illa quidem habet exitum, sed principio caret; tertia et quarta sane, quae argumenti quadam affinitate inter se contineantur, narrant, sed reliquos libros si secundum periocharum fidem examinemus, decadum rationem parum aptam esse inveniamus. Atque ipse Livius XXXI, 1 enarrato bello Punico altero cum annos quadringentos octoginta octo ab urbe condita ad initium bellorum Punicorum totidem libris occupatos esse ait, quot tres et sexaginta annis bellorum Punicorum occupentur, triginta primos libros in duas partes dividit, in quo etsi non hoc inest, ut non potuerint etiam per plures partes edi, decadum tamen divisio reiicitur. Qua igitur re decadum omnis numeratio nititur? Antiquorum quidem nemo commemorat, sed in codicibus, qui meliores extant, decades ita solent observari, ut in aliis reperiatur prima, in aliis tertia, in aliis quarta, in alio denique quae ex quinta decade supersunt. Iam non casu, sed ratione aliqua factum esse putemus, ut ipsae librorum decades in codicibus inveniantur: num si reliqui libri Liviani extarent, ut ii item per decades in codicibus extarent futurum fuisse certum est? An fieri posset, ut eorum quilibet numerus coniungeretur? Nam tertiam et quartam decadem diximus argumenti societate quadam concludi: quare ut eae separatim codicibus continerentur, argumento, non decadum ulla ratione accidit. Quae cum in his libris, qui clarissimas populi Romani res continent, observaretur, quam facile etiam ad primos libros transferri potuit! Commemorantur autem omnino decades primum ab

Gelasio papa in epist. adv. Andromachum (Baronii Annal. eccl. ann. 469; vide Drakenb. in elogiis ac iudiciis de Livio extr.), qui secundam decadem laudat. Qui etiamsi non suo ingenio decades effecit, sed quod apud alios reperisset, retulit, ita certe decipi potuit, ut, quae divisio argumenti causa instituta casu cum decadibus in primis libris conveniret, eam denarii numeri causa susceptam esse arbitraretur.

Prorsus igitur cum viris doctis, qui decadum ullam rationem apud antiquos fuisse negant, consentimus neque nunc eam retinendam esse existimamus. At enim L. Lerschius loco, quem supra diximus, Livium historias suas censet partim per denos partim per quinos libros edidisse. Nam sexti libri initio hoc tamquam novae partis est exordium: *Quae ab condita urbe Roma ad captam eandem urbem Romani — gessere —, quinque libris exposui. Clariora deinceps certioraque ab secunda origine — exponentur.* In quibus quin novae partis sit indicium, vix dubitari potest. Tum librum XVI ab origine Carthaginis coepisse ac suum quoddam exordium habuisse periochae ostendunt. Libro vero XXI quae prima sunt verba: *In parte operis mei licet mihi praefari, quod in principio summae totius professi plerique sunt rerum scriptores*, certe nisi ante substitisse quasi auctorem ac novum inde cursum incipere putemus, intelligi non possunt. Tum etsi libri XXVI nulla reperitur divisio nec argumenti causa ulla esse potuit, tamen libr. XXXI rursus, quae haud dubie novam partem praeparent, leguntur. Hinc igitur Lerschius quasdam historiarum partes, velut eam, quae de altero bello Punico erat, denum, plurimas quinum librorum fuisse colligit. Equidem et in universa hac divisione illud animadverto, quod supra dixi, adeo eam ex fortuito numero aptam esse, ut Livio, qui argumenti perpetuitatem pluris quam quinarium aut denarium numerum facere debuerit, indigna esse videatur, et quod in primis libris historiarum casu conveniat, id in reliquis ferri non posse perspicio; neque enim libr. XXXVI et XLV et deinceps per quinos aut denos libros ulla novae partis significatio reperitur aut recte cogitari potest. Quare quod Lerschius observavit, ad casum referendum est, qui tulerit, ut initio Liviani operis argumenti perpetuitas cum quinis aut denis libris exiret.

Quodsi in his nihil est, ex quo operis Liviani divisio cognoscatur, unde ea petetur? Nobis quidem aperta eius rei significatio videtur esse in iis, quae codex Nazarianus quorundam librorum periochis praemittit. Nam inde a libr. CVIIII usque ad CXVI numero libri subiicitur *qui est civilis belli primus*, tum *secundus*, deinceps item usque ad octavum. Duplicem igitur numerum habent libri illi, primum eum, qui ab urbe condita ducitur, tum eum, qui est civilis belli. Neque hunc alterum ex ingenio eius, qui codicem periocharum scripsit, profectum esse arbitrabimur, quod qui putabit, nihil poterit non spernere. Animadverto etiam *civile bellum* dici, non *bellum civile*, ut contra cogitari appareat alia bella moremque eum novimus fuisse titulorum, ut adiectivo praeponendo genus ipsum, de quo ageretur, perspicue distingueretur. Confirmatur denique cod. Nazariani auctoritas praeclare a scholiasta

Lucani X, 521 (cf. 471, 519), qui ex libro quarto civilis belli ea citat, quae in libr. CXII fuisse constat. En divisio, quae placere possit, quae digna esse videatur, qua Livius in edendo opere usus sit. Neque vestigia quamvis leviter impressa, desunt, quae reliquorum librorum similem partitionem significent. Nam quartae decadis codicem ms. Vossianum citat Drakenborch. in syllabo cod. Liv., in cuius exitu esse tradit haec: *Titi Livi liber decimus de bello Macedonico feliciter explicit*, similesque subscriptiones fortasse ad aliorum librorum exitus in eodem codice adduntur. Alios quidem eius decadis codices item belli Macedonici mentionem facere cognovimus. Tertiae autem decadis fuisse codices, qui non libros ab urbe condita, sed *Punici belli* numerarent, colligo ex libr. XXIII subscriptione, quam Alschefskius ex cod. Berol. citat: *titi livii patavini de bello secundo liber tercius explicit* nec dubito, quin, qui alios codices examinet, similia sit inventurus. Levia haec sunt vestigia, fatemur, nec tamen ea contemnenda esse arbitror, praesertim cum periocharum codex optimus talia Liviani operis partibus inscripta fuisse indicet. Cuius antiquitas (nam nono saeculo scriptus esse dicitur) efficit, ut quae de Macedonico et de Punico bello in deterioribus ac recentioribus cod. leguntur, librariorum malae industriae tribui non possint.

Quare quae Livii in edendo opere ratio fuerit, licet cognosci. Duplicem iis, quae quoque tempore edebat, titulum inscribere solebat, unum, qui ad totius operis perpetuitatem pertineret eiusque librorum numeros continuaret, alterum, qui quid quaque parte contineretur, significaret peculiaremque eius per libros numerandae rationem sequeretur. Quamquam haec non sic disputo, ut belli Punici et Macedonici et civilis libros nisi omnes uno tempore editos esse negem. Facile enim has quoque partes rursus paulatim et absolutas esse et prodisse credo, idque in extremis, qui de Augusto libri sunt, aperte adeo videor intelligere: sed quae tamen quasi requiescendi spatia Livius et sibi ipsi permiserit et iis qui legerent, concesserit, deprehendi existimo. Veruntamen, ut ab iis quae aliqua auctoritate tradita sunt, ad coniecturarum necessaria supplementa transeam, primos libros quinque separatim editos esse existimo inscriptosque de origine urbis. Etenim apud schol. Lucan. I, 118, eundem, a quo civilis belli mentionem fieri vidimus, haec sunt: *Bellum, quod fuit inter Romanos ex una parte et Sabinos et alios populos propter mulieres raptas in ludo — narratur in primo libro Livii de orig. urb.* Incertum hunc titulum esse concedo (nam dubium est, utrum ad unum librum primum an ad plures pertinere voluerit originem urbis scholiasta), sed, si quis quinque illos libros uno nomine complecti vellet, hoc non incommodum fuisse censeo. Secuti sunt deinceps decem libri, a sexto ad quintum decimum; nam in fine decimi subsistere argumenti perpetuitas non patitur. Nomen huius decadis prorsus incertum est, sed, si quid audendum est, Italicorum bellorum nomen maxime convenire arbitrer. Nam quaecunque tunc bella fuerunt, ad Italiam expugnandam gesta sunt; quicquid autem

domi per seditiones ac partium studia accideret, id Livium bellorum, quae quaque aetate essent, nomine comprehendisse ex iis, quae reliquis partibus nomina imposita esse constat, discimus. Deinceps primum bellum Punicum quinque, alterum decem, Macedonicum rursus decem libris expositum est. Qui insequuntur a quadragesimo primo quinque libri, dubito an item Macedonici belli nomine comprehensi sint: exitum certe Persei libr. XLV narrari reperio. At qui deinceps sunt, prorsus incertam appellationem habent, de quibus ne coniicere quidem quicquam audeo, sed lib. LXXXI—XC Sullanum bellum dici, XCI—CII a Cn. Pompeio, quem magnis laudibus Livius efferebat, CIII—CVIII a C. Caesare appellari recte potuisse censeo. Tum libr. CIX—CXVI civilis belli inscriptionem habuisse constat; qui quidem supersunt libri ad CXLII, ab Augusto, cuius initia libr. CXVII narrantur, nominatos esse probabile est.

Quae cum ita essent, duplex erat apud antiquos Livianorum librorum nomen ac duplex quasi numeratio. Qui non universum opus, sed partem tantum aliquam haberent, eam ex argumento, quod inerat, suo peculiari nomine appellabant numeroque eo, quem quisque locus in hoc argumento obtinebat, utebantur: qui totam Livianam historiam haberent, abiectis nimirum et numeris illis et nominibus, quae sibi inutilia essent, quotus quisque liber ab urbe condita esset, indicabant. Illa fere ratione plures usos esse existimo. Nam pauci esse poterant, qui et aequaliter toto opere delectarentur nec certas quasdam partes reliquis praeferrent et tantos sumptus facere vellent. Haec ratio apud viros doctos valebat, qui cum studiorum causa tota historia Romana sibi opus esse putarent, communem Liviani operis editionem compararent. Itaque grammatici fere citant libros ab urbe condita. Ipse ille Lucani scholiasta cum propter carmen quod interpretabatur, illam potissimum partem, quae de civili bello erat, cognosceret, quos alios libros laudat, ab urbe condita laudat (vide ad I, 168. 379. 605; II, 308). Sic semper Priscianus, Censorinus, alii. Sed iuxta tamen alteram illam Liviani operis partitionem constitisse partesque ipsas separatim esse descriptas ac propagatas, ex iis, quae disputavimus, coniicimus. Veruntamen universo operi, cuius libri ab urbe condita numerarentur, quod nomen vel Livius ipse imposuerat vel reliqui dabant? Olim quidem Drakenborchius *historias ab urbe condita* appellabat, Plinii, opinor, auctoritate motus, qui in naturalis historiae praefatione Titi Livii historiarum, quas ab origine urbis repetat, volumen citat. Quod nomen aptum esse negabit nemo; significat enim et quid quisque ab opere expectare debeat, et repeti id ab origine urbis et incerto fine desinere; est idem traditum optima doctissimi viri auctoritate, qui cum in similibus studiis versaretur, quod minus aptum aut verum esset, vix videtur prodere potuisse. At nuper tamen extiterunt, Niebuhrio duce, qui Livianum opus appellarent *libros ab urbe condita*, quod nomen fatemur nobis semper visum esse adeo mirum, ut vix quemquam, nedum Livium ipsum eo usum esse arbitraremur. Hodie si quis narrata vel

populi vel belli vel alius rei historia operi tantum tempus, a quo ordiretur, inscriberet, nulla eius rei, quam scriberet, significatione addita, nonne eum inepte facere existimaremus? Cur igitur Livio, prudentissimo auctori, quod nunc nemo sine risu ferat, imputemus? Inscriptionis enim ea propria vis est, ut quae natura operis, quod argumentum sit, significet: quam si eam eligas, quae nec naturam nec argumentum indicet, quomodo non merito vituperere? Livius poterat ille quidem etiam addere *Romanarum*, ut Romanorum historiam se tradere testaretur, sed primum brevitati consulens quod ex eo quod *ab urbe condita* addebat, facile suppleretur, adiicere noluit, deinde imperii Romani hoc proprium erat, ut paulatim totum orbem terrarum complecteretur, cuius historiam qui Romanorum res narrabat, non simul narrare non poterat. Plena igitur prorsus est illa inscriptio et apta et cum fide tradita, singularemque aliquam ac stultam Livii statuat fuisse acuminis nescio cuius captationem, qui eum operi tanto, quod parabat, nomen tam ineptum imposuisse existimet. Quare vereor, ne viros doctos, ut solet saepe fieri, iniustum novae rei studium ceperit, qui nomine vero, quod ab aliis usurpari viderent, contempto aliud, quod nullo modo ferri potest, tribuerint. At enim codicum auctoritate movebantur. Ex quibus optimus quisque sane singulos libros *ab urbe condita* dicit, sed non appellandi, verum numerandi causa dicit; numquam enim librum *ab urbe condita* nominat, id quod quam ineptum fuerit futurum apparet, sed *hunc* vel *illum librum ab urbe condita*. Quare qui codices ita habeant, eos colligemus ex exemplo, quod totum Livii opus contineret, esse descriptos, historiarum Livianarum eum, quem illi viri docti volunt, titulum fuisse non debebimus colligere. At Tacitus eos, qui olim appellari solebant annales, appellavit *libros ab excessu divi Augusti*. Hoc enim nomen qui imponerent, nuper quidam simili novandi studio ducti extiterunt: qui quantopere ne codicum quidem fide adiuvarentur, breviter, sed satis docuit Frid. Haasius in commentatione de Taciti vita ingenio scriptis p. XVI ed. Tauchn. 1855. At Plinius epist. III, 5, 6 avunculi sui opera enumerans *a fine*, inquit, *Aufidii Bassi triginta unus*, *naturae historiarum triginta septem*, quae qui minus recte interpretabitur, fortasse putabit Plinium insano illo operis titulo usum esse, ut quae de aetatis suae historia scripserat, libros a fine Aufidii Bassi appellaret, qui recte interpretabitur, prioris libri non minus quam alterius inscriptioni historiae vel historiarum vocem additam fuisse intelliget (cf. Plin. praef. nat. hist. § 19). Quae cum ita sint, in eo Liviani operis nomine, quod olim a viris doctis usurpatum et rei ipsius natura probabilisque auctoritas commendat nec codicum ms. fides reiicit, permanebimus.

Codices autem Livianos cum prior iam litterarum nostrarum aetas cognosset eos, qui certissimi ac constantissimi duces esse debent, nobis fere relictum erat, ut iisdem diligenter comparandis observandisque quod recensionis fundamentum esse oportere constaret, stabiliremus. Addiderunt tamen nostra tempora, dum quod ubi-

que novum est, impigre conquiritur, codicum quorundam rescriptorum cognitionem, quibus antiquissima Liviani operis notitia contineri videretur. Ex iis, si non aliis virtutibus, at ambitu excellit codex ille Veronensis, primae decadis testis vetustissimus, quem primus viris doctis commendavit anno 1828 Fr. Blumius Bonnensis in mus. Rhen. II p. 336: cui ut codex quam primum totus conferretur adhortanti utinam esset obtemperatum! Sed cum triginta fere nunc anni praeterierint, complures editiones magnae susceptae litteraeque nostrae cum laudabili studio ad criticam artem conversae sint, nemo tamen, qui codicem illum consuleret, extitit. Quare cum ante hos duos annos Veronam venissemus paucorumque dierum facultas daretur, quod ab aliis relictum esset, aggredi statuimus, non ut codicem totum perlustraremus (id enim et longioris temporis est nec sine venenis chemicis recte administrari poterit), sed ut examinaremus tamen qualisque esse videretur, constitueremus. Nam quae Blumius ex eo pauca sane excerpserat, cupiditatem magis excitabant quam ullo modo explebant. Neque operae non videbatur esse pretium etiam levius codicem attingere, dummodo qualis esset cognosceretur. Est enim privatae bibliothecae, ad quam saepe nullus est aditus, qui ubi dominorum benignitate patet, propter multiplicem bibliothecarii occupationem nisi singulis cotidie horis non conceditur: nos quidem etiam hoc promisso astringebamur, ut quae excripsissemus, edere vetaremur. Quare cum nullam praestantissimi monumenti cognoscendi occasionem negligendam esse putaremus, excripsimus, quae potuimus, hoc maxime caventes, ne quid omnino, de quo non saepe repetita consideratione constaret, in schedas referremus. Nimis enim facile in scriptura incerta atque evanida fit, ut quod legi oportere scias, quamvis dignosci nulla oculorum acie possit, tamen dignoscere videare quaeque mens invenerit, non oculi viderint, excipias. Procedebat igitur laboriosissimum opus et ita processerat, ut de virtute codicis iudicare liceret, cum subito domesticae calamitatis nuntio avocati sumus. Quare cum desineremus, ut virorum doctorum studia adiuvaremus, quae in codice legeramus, describi iussimus addique codici, quibus, si quis post nos eundem conferre cuperet, liberrime uteretur.

Quae autem inveneramus, de iis disputare aliquando, si casus ita ferret, cogitabamus, cum ecce nuper in Philologo Gottingensi XIV p. 158 virum doctissimum nobisque amicum D. Detlefsen. de eodem codice Veronensi narrare quattuorque paginas elegantissime cum ipsa scriptura vetere expressas referre vidimus. Quae res quam grata nobis acciderit, vix possumus dicere. Disputat enim vir praestantissimus de codice, qualis sit, quot folia habeat, quam ea lata sint, quam alta, imaginemque eam addit, ut ipsum intueri videamur. In cuius disputatione si quid queri liceat (nec aut tam queror quam commemoro aut ille magnopere vituperavit), hoc est, quod plura in codice dignosci posse ait quam nos dignovimus. Facile hoc fero; alius enim alio cernimus melius, ipsi etiam non omni tempore aequaliter utimur oculis, multum est in casibus fortuitis, denique communiter haec agenda

esse ipse vir diligentissimus ostendit, qui cum aliis fortasse locis minus vere tradiderit, tum semel certe quod esse in codice vix potest nec nos observavimus, enotarit. Communiter igitur, ut dictum est, haec agamus nec inter nos incusantes, quod quisque invenerit, ad litterarum nostrarum utilitatem conferamus.

Qua autem aetate scriptus sit codex Veronensis, nec Blumius dixit nec Detlefsen. nisi genere scripturae, quam habet, diligenter explorato definiri posse putavit. Nec nos profecto definiemus, sed si comparetur Livianus codex cum Pliniano rescripto, quem Fr. Monius qui primus edidit, item Veronensem origine eiusdemque bibliothecae capitularis fuisse existimat, simillimus fere ei esse reperiatur. Unum hoc intersit, quod Livianus paulo magnificentius videatur esse scriptus ac cum maiore membranarum copia. Quare si Plinianum Monius recte saeculo vel quarto exeunti vel quinto ineunti tribuit, eidem fere aetati tribuendus erit Livianus neque certe quamvis diligenter scripturae, qua librarius eius usus est, genus exploremus, ut multo artiores originis fines constituamus fieri poterit. Quamquam ipsum annum cuperemus posse definiri. Etenim, quod initio huius disputationis significavimus, eadem aetate vixit Q. Symmachus, qui cum amicis suis operam in Livio describendo atque emendando posuit. Cuius operae testes sunt primae decadis subscriptiones quae in ceteris Livianis codicibus reperiuntur, ab O. Iahnio sic restitutae:

Nicomachus Flavianus v. c. III praefect. urbis emendavi apud Hennam
Nicomachus Dexter v. c. emendavi ad exemplum parentis mei Clementiani
Victorianus v. c. emendabam domnis Symmachis.

Quarum subscriptionum tempora non eadem esse perspicimus. Nam dominos Symmachos si celebrem illum Q. Symmachum, cos. an. 384, cum filio, qui circa annum 391 quaestor, anno 399 praetor fuit (vide G. B. de Ross. in Annal. Inst. arch. XXI p. 334) sive cum fratre sive denique cum patre, cos. anni 365, intelligimus (ac Symmachi eiusque epistolarum rationes ita fatemur esse perturbatas, ut nec certo pronuntiare nec tantarum difficultatum quaestiones aggredi audeamus), quodcunque igitur de dominis Symmachis statuimus, dummodo clarum illum epistolarum auctorem dici putemus, ad saeculi quarti fere exitum pervenimus. Nam Victorianus, quamvis esse videatur Tascius ille Victorianus, qui apud Sid. Apoll. VIII, 3 laudatur, tamen quo tempore hanc Symmachis operam praestiterit, nescimus. Nec quod Symmachus epist. IX, 13 ait: *Munus totius Liviani operis, quod spopondi, etiamnunc diligentia emendationis moratur. Sed a te praedicti muneris posco vectorem, quia meos praetorius apparatus sparsim in longinqua egit*, huius subscriptionis tempus definit. Nam nec *praetorius apparatus* qui sit scimus nec hercle illud exemplum Livianum, quod tunc describendum atque emendandum curabatur, esse hoc, cui Victorianus operam impendit, aut necesse aut probabile est. At ille Nicomachus Flavianus, cuius prima in cod. ms. collocari solet subscriptio,

tertium urbi praefuit inter annum 427 et 430 p. Chr., quare vel ipso illo tempore vel postea Flaviani exemplum scriptum est atque triginta annis vel amplius ab Victoriani exemplo quod priore loco commemoravimus, distat. Denique Nicomachus Dexter parensque eius Clementianus qui sint ac quando vixerint, etiam post eruditissimas non solum Rossi (l. l. p. 325), sed etiam Borghesii (l. l. p. 361) disputationes parum constare arbitror movetque me et quod Dexter tantum *vir clarissimus*, nulla honoris significatione apposita, dicitur et quod *parens* Clementianus nisi incertissima coniectura explicari non potest. Quamquam pari fere eos aetate mediosque inter duos reliquos vixisse, videbitur esse probabile. Quae cum ita sint, tria iam a diversis emendatoribus correcta exempla Liviani operis deprehendimus, et quidem totius operis; nam et libri ab urbe condita numerantur et homines, quibus emendabantur, vel qui ipsi emendabant, litterarum cupidissimi erant adeoque locupletes, ut facile tantos sumptus ferrent, et denique, cum apud Symmachum fuisse totum Livium sciamus, fuisse item apud amicos putabimus. Quae autem ratio trium harum recensionum (sic enim nominare liceat) inter se fuerit, num Dexter Victoriano, Flavianus vel Dextro vel Victoriano vel ambobus usus sit, nescimus; sed ut coniungerentur eorum nomina recensionesque in unum quasi confunderentur, factum videtur esse ab librario aliquo, qui eum, a quo et Mediceus et alii primae decadis codices profecti sunt, scripsit, qui quod aliis libris tres, aliis duas, aliis tertiam tantum subscriptionem adiecit, casui tribuo, rationem quidem ullam invenire nequeo.

Iam, ut ad Veronensem codicem revertamur, si annum quo scriptus esset, sciremus, utrum antecederet Symmachianos codices an sequeretur aetate, certe possemus iudicare. Nunc in eo pag. 274 avers. finito libro quinto duos, ut in reliquis paginis, fuisse video quasi ordines, quorum posterior vacuus relictus erat, prior habebat quinque versus ita diductos, ut spatium ordinis explerent. Ex quinque autem illis versibus nec primus nec duo postremi legi possunt, alter habet litteris maximis RBE, tertius NDITA (cf. Blum. mus. Rhen. II p. 337). Hinc colligemus fuisse in illo ordine, quod est in aliis codicibus: *T. Livi ab urbe condita lib. V explicit* vel similiter; recensionis quidem nullam significationem additam fuisse constat. Intelligimus igitur si quae a nobis disputata sunt, sequimur, totius Livii hunc quoque fuisse codicem, vel certe librarium, qui hunc scripsit, totum Livii opus voluisse scribere (neque enim utique omnes libros in Veronensi exemplo extitisse dicam), tum, si qui ex recensito emendatorisque nomine ornato codice describerent, eos prioris recensionis notam ascribere consuevisse statuimus, diversae a tribus illis Symmachianis, quos diximus, recensionis. Quattuor totius Livii codices, vicina aetate confectos nec ulla emendatorum cura inter se coniunctos tenemus; addendus certe erit quintus, ex quo reliquarum decadum codices, qui extant ac subscriptione carent, profecti sint. Apparet igitur, quot exempla Livii probabile

sit saeculo quarto superfuisse, quantaque eorum pars Symmachi eiusque amicorum studiis debeatur.

Quamquam O. Iahnius p. 367 magnopere si qui de Symmachianorum amicorum emendatione magnam spem habeant, eam minuendam esse censet eorumque curam in eo fere fuisse positam, ut librariorum errores, qui vel celeritate scribendi vel negligentia accidissent, tollerent, nec dubito, quin merito ita censeat. Quamquam id non eorum, qui emendarent, qui reipublicae fere atque honoribus gerendis operam dabant litterisque tantum quantum otii relinquebatur, impendebant, aut ignorantia aut socordia factum esse existimem. Etenim Livium ipsum vix putabimus libros, quos scripserat, saepius edidisse, ut plures eorum extarent quasi recensiones; adeo enim scribendo occupabatur, ut corrigendi otium non superesset. Itaque unum hoc faciendum erat, ut Livii manus quam integerrima servaretur erroresque, qui librariorum culpa irrepsissent, tollerentur: alia cura nec poterat adhiberi, nec si qua adhibita est (velut ab initio praefationis qui versus ab Livio erat scriptus, a grammaticis videtur esse sublatus), recte laudabitur. Sed ipsum hoc errorum genus, quod iam antiquis temporibus paulatim existere consuesset, fere ignorabatur: nunc in Livio certe quale fuerit, coniectura poterimus persequi. Etenim ceteri primae decadis codices omnes, qui extant, ex Symmachianis exemplis deducuntur, unus ille Veronensis, cum emendatoris nomine careat, ne habuisse quidem videtur quemquam, qui quae scripta erant, examinaret peccataque corrigeret. Quare si utrimque et ex Veronensi et ex Symmachianis libris ratione probabiliter instituta librariorum errores deducamus, et quid olim veteres iam in Livii libris propagandis peccarint, et quid Symmachiani emendatores mutarint et quid denique auctor ipse scripserit, aliquo modo videmur posse assequi.

Sumamus igitur Veronensis codicis primum eam particulam, quae ab Detlefsen. expressa est, libr. III, 7 init. ab iis quae sunt *tere mentes eorum*, addamusque quae deinceps ipsi excripsimus (p. 308 cod. Gregor.), quae pertinent ad ea quae cap. 8 med. sunt *ex proximis locis*, ut paulo plus quam integri capitis collatione utamur. In his primum notanda vitia pro tantulo spatio sane multa. Non numero, quod initio legitur *ut totims passim;* nam id ipse librarius puncto litterae *m* imposito correxit (atque uno omnino hoc loco quicquam in Veronensi cod. correctum esse reperi), sed postea scribitur *quam quamtam* (nos legimus *quam quantam*) *ferro sociorum quamquam facta erat*, cum vocabulum *quamquam* ex eo, quod antecessit sive id *quam quantam* sive *quam quamtam* fuit, ortum est nec acc. *quantam* ferri potest. Sequitur *mortui et alii circa viri*, pro quo reliqui omnes libri ms. habent *m. et alii clari viri*, vere sine dubio animadvertendumque ipsum genus erroris, ex quo librarium sententia fere neglecta formas tantum litterarum expressisse cognoscas. Tum est *Servilius Sulpicius*, tum *lete vagata est vis morbi*, in quibus vitium manifestum, tum *delubra impleant*, quod ferri non

posse paulo post dicemus, c. 8 *ad pu||publicam curam* syllaba in exitu versus male repetita, paulo post *praebitus terror magis res subita*. Ea attuli, quae et apparerent nec in aliis codicibus reperirentur, nisi quod Sulpicii praenomen in recentissimo ms. item *Servilius*, solita librariorum confusione, scribitur. Non commemoravi, quod c. 7 fin. Detlefsen. tamquam ex Veronensi expressit *inopsquae senatus auxilii Romani ad deos populum-vocat*, in quo ipse potius videtur peccasse; nam nos, quod esse necesse est, *auxilii humani* legimus, nec illud numero, quod Ver. habet *Tusculanum agru || opimum copiis;* nam sic nos quoque vidimus. Quae enim litteram *m* in exitu versuum lineola imposita, sed paululum extra versum extans significare solet, quam facile fieri potuit, ut aut a librario minus attendente, sed parum tamen peccante omitteretur aut tempore deleta utrumque nostrum falleret! Omnino haec litterae *m* vel omissio vel adiectio pro vitio vix potest haberi, velut III, 30 in hoc Veronensi legitur *Corbionem amissum praesidium*, IV, 21 *in urbem agrisque* et *exercitum accito*, V, 44 *ad caede*, *non ad pugnam*, nec ullo pacto nos movet, quod III, 62 est *in sinistrum cornum Romanorum* clare expressa littera *m*. Quo magis cavendum est in mendoso illo dicendi genere, cum praepositio *in* verbo *esse* similibusve adiecta accusativum regere putatur, ut *in potestatem*, *in ditionem esse*, *manere*, quos locos propter ipsam dicendi antiquitatem venari solemus, ne etiam contra codicum auctoritatem peccare scriptores velimus. Velut VI, 2 cum nunc edi soleat *qui-per annos prope centum nunquam ambigua fide in amicitiam populi Romani fuerant*, quod ita in Med. cod. esse Alschefskius tradit, hunc quidem, cum denuo conferrem, aperte *in amicitia* habere vidi, ut, quoniam etiam Parisinus ablativum tuetur, reliquos cod. non malos illos quidem, sed tamen deteriores contemnere quodque grammaticae consuetudo postulat, retinere debeamus. Sed si ab his et ab iis, quae aliorum codicum communia sunt et ab orthographiae magna inconstantia discedamus, nonne mirum videbitur, unius capitis spatio totiens esse peccatum? Ea igitur quae corrigerent emendatores, ad quae tollenda nec magna doctrina nec insigni diligentia opus esset, quae ex mera litteras pingentis negligentia videntur esse orta: quae cum in Veronensi codice qualia scripta erant, relinquantur, nullum emendatorem adhibitum esse demonstrant. Neque haec eiusmodi sunt, ut Veronensi librario Symmachianum exemplum (sic enim quod ab eius amicis emendatum erat, appellabimus) male exprimente potius orta esse videantur quam ex diversae originis codice, de qua re si quis nunc dubitet, ei quae deinceps disputabimus, persuadebunt.

Comparemus cum his Medicei codicis ab Alschefskio collati errores: in eodem capitis spatio unum magnum, reliquos sane exiguos esse reperiemus, nullum eiusmodi, ut appareat, ut sententiam perturbet, ut ab eo, qui emendatius exemplum non conferat, facile animadvertatur. Magnum autem est, quod pro eo quod Ver. habet *in vasto ac deserto loco inter tabem* (ac sic esse oportet), Med. scribit *in-*

festo loco intra tabem secundaque tantum manus, quod grammaticae ratio suppeditabat, *inter tabem* correxit. Illud autem, quod relictum est *infesto loco*, quamvis parum aptum sit, constat tamen per se, apertum etiam est, quam facile librarii oculis illud quod est *ac deserto* praetermittentibus extiterit; sed si semel extiterat, fieri nullo modo poterat ut ulla ingenii divinatione in id quod verum est *in vasto ac deserto loco* mutaretur. Quare cum reliqui codices, qui Symmachianam recensionem praescriptam habent, veram lectionem tueantur, duo haec colligemus, in Symmachianis exemplis fuisse *in vasto ac deserto loco*, nec Mediceum codicem unum eorum, qui supersunt, codicum Livianorum esse fontem. Tum Med. pro eo quod esse oportet *T. Verginius*, exhibet *Virginius*, una littera mutata praenomineque omisso, quod librarius, quia alterum nomen sequeretur, minus desideraret, tum *suplicatum*, *expossere*, *fundit fugaque*, *agros Praenestinum Gabiniumque*, singulis litteris male vel adiectis vel omissis. Eodemque refero, quod habet *inde dimissum in campos*. Nam verum est *inde demissum*, quamvis Ver. codex scribat *inde missum*, obscuriore errore quique etiam emendantem falleret, sed tamen errore. Communia autem Veronensis et Medicei codicis sunt fere duo vitia, quod scribunt *haudquamquam* et quod T. Verginium cognominant *Rutilium*. Illud, etsi certe falsum est, tam saepe tamen apud Livium non modo in Mediceo, sed etiam in aliis cod. legitur (cf. VII, 26 ibique Drak.), ut non librariorum negligentiae, sed cuidam aetatis Symmachianae consuetudini deberi videntur. Hoc Sigonius correxit, *Rutilus* scribens. Nam nec alterum nomen ferri potest nec Rutilius per se tamquam tertius aliquis augur intelligi, quia Rutilia gens plebeia fuit incertusque ille tribunus militum, qui apud Liv. IV, 47 legitur; denique item cognomine ornatur T. Verginius cos. libr. III, 65. Sed dubitandum tamen esse existimo, an, quod nos falsum esse novimus *Rutilius*, Symmachiana aetas, qua nominum ratio ex hominum memoria perierat, probarit idque nec in Veronensi cod. pro vitio numerandum nec in Mediceo a librario inventum, sed ex eo, quod describebatur, exemplo repetendum sit. Neque enim aliis locis Veronensis codex in nominibus propriis est emendatior. Velut libr. IV, 21 extr. quod praenomen habuerit Servilius, qui dictator creatus est, nescimus, quia ea pars ordinis periit, nec illa *cui Prisco alii*, *alii Structo fuisse* quomodo referat, satis dignoscere potuimus; extrema autem sic habet: (*per*) || *mittente eo no* (*cte dicta*) || *torem dixist is* (*sibi ma*) || *gistratum nequ* (*itum*) || *postumium ebu* (*tium*) || *Helvium dicit*, iisdem erroribus, quibus deteriores codices inquinati sunt. Cum omnibus autem codicibus peccat Veronensis libr. III, 27 magistrum equitum appellans *L. Tarquinium*, quem *L. Tarquitium* dicendum esse tabulae Capitolinae docent. Qui error cum omnium communis sit, quam vetus fuerit quamque ne Symmachiani quidem emendatores talia tollere potuerint, apparet. Idemque c. 29 intelligitur, ubi Veronensis cum omnibus codicibus quod parum rectum esse constat *Fabius Quinctius* tuetur.

Ac quoniam Mediceum comparavimus codicem, sumamus etiam ex ceteris Symmachianae recensionis aliquem, Mediceo non inferiorem ac certe bonum, Vaticanum n. 3329, quem ipsi contulimus. Is, si ab orthographia parum constanter immutata, quod *preda* habet et *predonum* et priore loco *Prenestinos* et *implent* et *impigre*, sed *inpetrata*, quod *supplicatum* et *nunciantibus* et *Vulscos* et *hostes non invenissent* et *cons. creat*, si igitur ab his discedamus, perpetuo emendatus est et quidem ab eo, qui quae scripta erant, ab exemplo quod exprimeretur discrepare videret. Nam prima manus scripserat *autquaquam*, altera *haudquaquam;* prima bis praepositionem omiserat, semel, ubi est *per ignota capita*, tum ubi *ad arcendam vim*, prima item *incepere*, *sine ille Vetusius fuit*, *satis validam civitate*, emendatorque quae extremo hoc loco sunt *ex proximis locis rapta-agmine redirent* in margine ascripsit. Propria autem vitia habet haec: *moti quod nec obstitissent*, *late evagata est*, *iussis cum coniugibus*, *Lucretium Tricipitini*, communia cum Mediceo, quod *Rutilius* et *inde dimissum*, quorum illa ex librarii ingenio profecta, sed ab emendatore vel probata vel praetermissa, haec ex exemplo, quod describebatur, propagata esse censeo. Quod quidem ad verba Liviana, qualia ab editoribus nostris exhibentur emendanda pertineat, nihil per hunc locum offert, sed hoc discimus, nec ex Mediceo esse repetitum (nam *in vasto ac deserto agro* et *T. Verginius* exhibet), et, si emendatoris manum assumamus, vix illo inferiorem.

Veruntamen ut ad Mediceum Veronensemque cod. redeamus, orthographica quaedam, de quibus infra communiter disputabitur, omittimus: quo pertinent quodammodo etiam, quod ille *Lavicanos agros* appellat, hic *Labicanos*, in quo neutrum omnino contemnens ab editoribus tamen eam, quam codices negligunt, constantiam adhiberi velim; item quod ille *T. Veturium*, hic *Titum Veturium* contra atque illic *Quintus Fabius*, hic *Q. Fabius* est, denique quod ille *ante diem III idus*, hic *ad III id* scribit: quae casus potius quam ulla certa voluntas videtur rexisse. In quattuor autem rebus, quas minus recte nunc in editionibus scribi putamus, paululum immorabimur. Nam *obvii fiunt descendentibus ab Tusculana in Albanam vallem* exhibent omnes, qui citati sunt, codices nec editores praeferre debuerunt *ab Tusculano* aliam Volscorum viam ac Livius voluit significantes. Ne potuerant quidem illi ab Tusculanis collibus, quos diripuerant, continuo in Albanam vallem descendere (intersunt enim alii colles), sed postquam ex Tusculanis collibus in vallem subiectam pervenerunt, inde in Albanam vallem vicinam eandemque humiliorem descenderunt. Deinde quod in Mediceo aliisque eiusdem sectae cod. est *urbi quoque Romae ingens praebitus terror magis in re subita quam quod ad arcendam vim parum virium esset*, in Veronensi vitiose sane legitur *magis res subita*, sed veram emendationem ostendit. Oportet enim esse ablativum abiicique praepositionem. Sic postulat sententia, ut ipsa res quae terrorem praebuerit significetur, neque ea unquam ablativo contineri potest. Nam etsi saepe fit, ut praep.

in indicet quod accedit quodque facit ut quae causa affertur, causa existat, ipsam causam non significat longeque diverso ex genere sunt, quae ab Weissenbornio tamquam similis citantur, quem religione codicum solutum ipsum facile arbitror ablativo esse usurum. Admonet me vocabulum, de quo agitur, ut vitium olim praepostera sapientia excogitatum, post codicum falsa fide defensum tollam. Nam libr. VI, 11 Livius M. Manlii Capitolini seditionem narrans de aere alieno levando actum esse scribit: *et erat aeris alieni magna vis re damnosissima etiam divitibus aedificando contracta.* Sic placuit olim Freinshemio probavitque Gronovius, qui Graecis versibus aedificandi cupiditatem facillimam ad paupertatem viam dici meminisset. Quasi vero eandem ab Livio vituperari necesse sit ac non aeris alieni magnitudinem, qua tunc civitatem laborasse tradit, probabilius sit rem damnosissimam appellari. At recentes editores movebat etiam, quod Alschefskius in Mediceo codice ablativum esse refert, sed refert male; est enim in eo ut in reliquis cod. nominativus, quare scribendum est: *et erat aeris alieni magna vis, res damnosissima, etiam divitibus aedificando contracta.* Tertius locus, qui longiorem disputationem requirit, est cap. 7 extr: *inopsque senatus auxilii humani ad deos populum ac vota vertit: iussi cum coniugibus ac liberis supplicatum ire — ad id quod sua quemque mala cogebant, auctoritate publica evocati omnia delubra implent*, quae si ab iis quae ad orthographiam pertinent, discedimus, ita fere in Mediceo leguntur. Habet tamen is *publicevocati*; sed praestat certe, quod ceteri boni cod. praebent *publica evocati;* nam nec *publice*, si abl. *auctoritate* antecedat, ferri potest et *evocare* eo simplici vocandi verbo praeferendum, ut ex domibus pestilentibus elicitos esse significet. Nec Vaticanus cod., quem dixi, ab his recedit, qui quod *iussis cum coniugibus* exhibet, librariorum more peccat, saepe adiectiva cum substantivis iuxta positis eiusdem casus societate coniungentium. Verum discedit Veronensis codex: *inopsque senatus auxilii humani ad deos populum ac vota vertit: iussos cum coniugibus ac liberis supplicatum ire — ad id quod sua quemque mala cogebant, auctoritate publica evocat: omnia delubra cet.* In quo quod Detlefsen. esse scribit *auctoritate publice vocat*, an vir doctissimus litteram quae minus perspicua esset, omiserit dubitamus: nos quidem legimus *auctoritate public. evocat*, ut ante evocandi verbum litteram parum dignosci posse significaremus, nec si fuit illo loco littera, quin *a* fuerit dubium est. Utrum igitur rectius est *iussi* an *iussos*, *evocati* an *evocat?* Equidem secundum hoc pronuntiare non dubito. Cum iussisset supplicatum ire, ad id quod sua quemque mala cogebant, evocati delubra implent! Quasi illa inter se diversa ac non eiusdem generis fuerint. Orator quae natura coniuncta sunt, ita diducendo affectus moveret, historicum rerum ordinem diligentius servare decuit. Tenere igitur in his videmur diversarum recensionum vestigium, ut Veronensis codex Livii manum, reliqui Symmachianorum amicorum emendationem exhibeant, qui vel quod in eo quod exprimebant exemplo vi-

tium aliquod acciderat vel casu aliquo vel denique, quod verba parum recte coniungentes (nam id illa aetate cum sententiae non distinguerentur, etiam doctioribus hominibus longe saepius quam vulgo putatur accidisse probabile est) si *iussos* ad *populum* referri oporteret, nimis durum esse existimabant, ita mutarint. Superest quartus locus, in quo parva, sed admodum memorabilis reperitur discrepantia. Nam cap. 8 omnes codices, qui adhuc noti fuerunt, praebent: *Q. Fabius praeerat urbi*, at Veronensis *Q. Fabius praefectus erat urbi*, omnibus litteris expressis, non nota, quae in errorem adducere posset, adhibita. Unde haec accidit discrepantia? Utrumque omnino pariter verum est, sed magis tamen proprie dicitur *praefectus erat urbi;* nam vere fuisse praefectum Livius cap. 9 ait *senatus a praefecto urbis Q. Fabio vocatur.* Mihi quidem nata prope est haec suspicio, ut homines cum praefectis urbi coniunctissimos (nam et Symmachi et Flavianus urbi praefuerunt) honorisque eius dignitate impletos putarem, quod de antiquis praefectis secus existimarent, si quam certam eorum memoriam invenirent (atque altero loco Liviana verba ambiguitatem aliquam admittunt), eam tollere antiquosque ab suae aetatis praefectis diversos esse significare voluisse. Quamquam parum certe in ea re constantes fuerunt probabiliusque cum in libris esset *praef. erat*, unos *praeerat*, alteros quod verius erat, *praefectus erat* effecisse.

Examinavimus eum locum Livianum, quo et Veronensis codex prope integer est atque a duobus collatus et casu quodam non ipsius modo, verum etiam reliquorum codicum ingenium cognosci poterat, constabitque eorum, quae disputavimus, veritas, etiamsi alii loci minus perspicuum iudicium admittent. Sequitur enim locus item ab Detlefsen. expressus libr. III c. 12 ab iis quae sunt *vitiis maturescente virtute* usque ad ea quae cap. 13 sunt *supplicium negat sumpturum se de in (demnato)*: quo loco Veronensis cod. quamquam satis commode legi potest, mancus tamen est in altero paginae ordine, cuius exterior pars cum abscisa perierit, fit, ut versuum fere dimidia pars desideretur.

Hoc loco Veronensis cod. vitiositas minus apparet. Tria fere reperio, quae mendosa sint, primum *virtute sinnerent*, quod si ullus emendator accessisset, non arbitror relicturum fuisse, tum, ubi esse oportet *non iterando laudes*, Detlefsen. notavit *non in. eran* || *do laudes*, nec negabimus, quin ita scriptum fuerit, etsi non certum esse putamus. Denique nomen eius, qui maxime Caesonem Quinctium criminabatur, cum altero loco recte *M. Volscius* scribatur, priore *C. Viscius* ab Detlefsen. esse dicitur: nos *M. Volscium* non esse invenimus dubitamusque an *M. Vlscius* fuerit, in quo non diversitatem nominis sed negligentiam librarii ab nullo emendatore correcti deprehendimus. Cf. quae paulo post de eodem nomine dicentur. Mediceus hic quidem prope mendosior est, in iis tamen, quae minus exempli quod exprimeretur erroribus quam ipsius librarii negligentiae tribuere debeamus. Ex hoc genere esse censeo, quod *p̄ ater inter hos* scribit, quod *praeter mulgatam*

invidiam, quod *se aut multo postquam*, quod *fuerat iuventutem grassantem* omissa praepositione, quod *ut haut multum fuerit*, quod *clamittat*, item quod *aversabantur precib.*, deletis tamen secunda manu litteris *ib*. Nam in omnibus his rebus Vaticanus cum ex simili fonte deductus sit, emendatus est. Quamquam hic rursus suo more peccat; nam priore loco *M. Vulscium* appellat, qui altero *Volscius* dicitur; scribitur etiam bis *Quintius*: duo quae peccata erant, emendavit corrector, *nec cumularet* et *verecundiam*, qui item orthographica quaedam mutavit. Nam ex *adulescentia* fecit *adolescentiam*, ex *mulcatis mulctatos*, addiditque verbo *afuerit* litteram *b*. Exaequavit etiam scripturam, cum altero loco *haud* scripsit, quod priore esse viderat. Quae levia atque eiusmodi esse apparet, ut ab eo, qui orthographiam Livianam ex codicibus discere nolit, facile vitentur. Ubi autem edi nunc solet *patricii vi contra vim resistunt*, difficultatem aliquam legendi in Symmachiano exemplo, quod Mediceus et Vaticanus exprimerent, fuisse arbitror. Nam ille habet *patricii vis contra vim res.*; hic *patri cuius contra vi resistunt*, quae parum a se intelligi emendator punctis subiectis temptataque quadam correctura testatus est. Verum recte edi *vi contra vim* Veronensis demonstrat, in quo cum in uno versu *patricii vi co....*, in insequenti *resistunt* legatur, explendi versus causa ita legi necesse est. Quae proxime sunt *cui rei capitalis dies dicta sit*, ita prorsus in Mediceo leguntur (nam peccat editio Alschefskiana, quae *rei* abesse ait, cum schedae eiusdem nihil tale tradant), significantur etiam in Veronensi, ubi versus hic est *mitat cui re* (*i capitalis*); nec discedit Vaticani prior manus, cum emendatoris altera deleta littera *i* impositaque *o*, ut *reo* fieret, veterem a se scripturam non intelligi indicarit.

Nec vero ne in hac quidem quamvis manca Veronensis codicis particula, quae cuiusdam quasi recensionis diversitatem indicent, desunt. Sunt eae tres res, duae minores, quae ad verborum exiguam mutationem pertineant, tertia quamvis parva esse videatur, ipsam narrationem attingit. Primum enim ubi sic edi solet: *testis extiterat se haud multo postquam pestilentia in urbe fuerat, in iuventutem grassantem in Subura incidisse: ibi rixam natam esse*, in Veronensi legitur: *testis extiterat* || *haud multo postquam* || *pestilentia in urbe fu* || *erat in iuventutem gras* || *santem in ......* || *cidisset ibi r* (*ixam natum*) || *esse*. Deest igitur pronomen *se* et pro infinitivo scribitur coniunctivus. Utrum igitur statuemus, peccasse Veronensem librarium an aliud in exemplo, quod describeret, invenisse? Hoc videtur esse probabilius. Etenim quem mancum reliquimus versum si suppleas *santem in Subura in* || *cidisset*, non prorsus recedas a more codicis (nam sunt etiam alii unus et alter vel totidem vel pauciorum litterarum versus), sed non magis recedas, si particulam *cum* inseras constetque oratio ipsa optime. Quare si frequentiorem consuetudinem sequamur, levem Symmachianorum et ceterorum codicum diversitatem reperiamus. Paulo post omnes cod. adhuc noti praebent: *nec sibi rem exequi*

4

tam atrocem per consules superiorum annorum licuisse, sed in Veronensi si versus expleas, sic fuerit: *inde arbitra* (*ri nec sibi*) || *exequi rem ta* (*m atrocem*) || *per consules* (*superiorum*) || *annorum li* (*cuisse* cet. Est igitur collocatio illius vocabuli *rem* naturalior quasi narrationisque simplicitati convenientior. Atque idem simplicitatis studium duobus aliis locis reperi, libr. III, 29, ubi Ver. habet *agitatum de lege est ab tribunis*, reliqui *agitatum de lege ab tribunis est;* et c. 38, ubi in reliquis *alia ex parte*, in Ver. *ex alia parte* legitur. Tertium est quod in vulgaribus codicibus editionibusque scribitur *patricii vi contra vim resistunt. T. Quinctius clamitat, cui rei capitalis dies dicta sit et de quo futurum prope diem iudicium, eum indemnatum indicta causa non debere violari.* At Veronensis habet: *patricii vi co* (*ntra vim*) || *resistunt Qu* (*inctius cla*) || *mitat cui re* (*i capitalis*) || *dies* cet., omisso Titi praenomine. Quod quam facile antecedente littera *t* vel addi vel omitti potuerit apparet. Iam T. Quinctius intelligi non potest nisi Capitolinus ille, qui ter consul fuerat, quem Livius c. 12 et inter necessarios Caesonis nominat et leniendi populi causa laudationem habuisse narrat. Qui tamen cur subito cum tanta vehementia extiterit miramur: ipsum potius Caesonem illud, quod ad suam salutem pertineret, clamitasse arbitremur. Verum Dionys. X, 8 pluribus Caesonis causam exponens patrem eius, ut filius datis vadibus dimitteretur postulasse refert: hic autem pater praenomen habebat Lucius. Conficit hoc rem, delendum praenomen intelligendusque pater Caesonis, qui non minus recte ab Livio solo nomine dicitur quam paucis verbis ante Verginius cos. multique alii, quorum saepius in eadem re mentio facienda est.

Referamus deinceps, quae postea a Livio libr. III, 23 extr. de eiusdem Caesonis Quinctii causa narrantur, quae cum duobus ordinibus integris nec nimis ad legendum incommodis contineantur, qualia ex Veronensi codice fol. 275 descripsimus, repetemus, nisi quod et vocabula divisimus et quas litteras minus perspicue dignoscere videbamur, inclinatas expressimus. Sunt igitur ibi haec:

recipientis Romanus
cons. in Algido conse
cutus ad unum omnes
occidit victor ad Co
lume id loco nomen
est exercitu *reli*cto
castra locat et alter cons.
postquam m*oe*nibus iam
Romenis pulso hoste pe
riculum esse desierat
et ipse ab Roma profectus
ita bifariam conss. ingres

gis tollendae esse ni
hilominus rem suscep
tam peracturos obtinu
it tamen Lucius Lucre
tius praefectus urbis
ut actiones tribuniciae
in adventum consulu*m*
differrentur erat et *no*
va exorta causa motus
A. Cornelius et Q. Servi
lius quaestores M. Vols
cio quod falsus haud du

si hostium finis ingen
ti certamine hinc Vols
cos hinc Aequos populan
tur eodem anno descis
se Antiates aput pleros
que auctores invenio
L. Cornelium conss. id
bellum gessisse oppidum
que cepisse certum *af*
firmare quia nulla aput
vetustiores *scriptores*
eius rei mentio est nō
ausim hoc bello *perfec*
to tribunicium domi bel
lum patres territat cla
mant fraude fieri quod
foris teneatur exercitus
frustrationem eam le

bic testis in Caesonē
extitisse dicem dixerant
multis enim emanabat
indiciis neq. fratrem
ulsci ex quo semel fue
rit *aeger* un. quam non
modo in publico visum
sed ne adsurrexisse
quidem ex morbo mul
torumq. tabe mensum
mortuum nec his tem
porib. in quae testis cri
men confecisset Cae
sonem Romae visum *af*
firmantib. qui una me
ruerunt secum eū
tum frequent. ad sig
na sine ullo comme

In his quaedam sunt aperta vitia eaque, quae emendator si ullus adhibitus esset, non videtur fuisse relicturus. Primum enim insignis in vocabulo consulis scribendo inconstantia notanda est. Facile fero singularem *consul* per omnes casus scribi *cons.* ex more posterioris aetatis (atque ita *c̄ons.* solet etiam Vaticanus, cum Mediceus fere scribat *c̄os.*), fero etiam consules scribi *conss.*, sed ut etiam pro acc. sing. *consulem* poneretur *conss.*, nisi vitio non videtur accidisse. Tum *Romenis* et *dicem* et *un. quam* et *confecisset* quam mendosa sint, prae se ferunt; eodemque refero infinitivum *extitisse* pro coni. *extitisset*, qui necessarius est, cum quo errore quae supra de coni. *incidisset* pro infinitivo posito dicta sunt, conferri licet; item quod *M. Volscius* cum priore loco recte appelletur, altero *Ulscius* dicitur, cum etiam Mediceus *vulsci* habet, quamquam prius *Volscium* nominarat. Quo probabilius est, supra c. 13 non *C. Viscium Fictorem* in Veronensi fuisse, sed idem quod hoc loco *Ulscium*. Quamquam nomen certe fuit M. Volscius; nam etiam libr. III, 29 Veronensis habet *M. Volsci falsi testis.* Quae cum ita sint, intelligitur fuisse apud Veronensem librarium hoc quoque loco, quae emendator vel mediocris, qui apertos tantum errores tollere vellet, corrigeret: quae cum relicta sint, nullum accessisse arbitrabimur. Veruntamen hercle Mediceus codex, quamvis ex emendato exemplo scriptus sit ac rursus altera manu correctus, etiam corruptior est pluraque vitia ex scribendi negligentia orta ostendit. Quo ex genere sunt *profectus sit abifariam* et *decisse anchtiates* et *frustationem* et *tribunitiae*, cum paulo ante legatur *tribunicium*, et *differentur* et *amanabat* et *vulsci*, quae cum

in vetere exemplo emendata fuerint, librarii Medicei culpae deberi arbitror. Emendatissimum quidem hoc loco Vaticanum librum esse reperio, nimirum si ab orthographia recedas. In hac enim suae aetatis vitiosam rationem haud dubie sequitur, scribens *coepisse* et *tribunitium*, *tribunitiae* et *tollende* et *nichilo et questores* et *in que testis* et *comeatu*, ex quibus altera manus unum *coepisse* mutavit, ut fieret *cepisse*. Propria vitia habet duo levia, quod *moenibus in Romanis* et quod *consulem hic bellum* scribit; nam quod primo fuerat *dixerat*, eadem manus mutarat in *dixerant*. Denique peccatum erat in particula *haud*, quam corrector demum restituit cum fuisset *aut*.

De paucis autem rebus peculiariter dicendum esse existimo, in quibus an ex Veronensi libro quaedam ad emendanda verba Liviana, qualia nunc eduntur, effici possint, videndum est. Primum enim ille habet ad *Colume*, reliqui libri *ad Columen*. Incertus omnino est locus incertissimumque quod Cluver. Ital. antiq. p. 779 suspicabatur, esse eum collem, qui apud Plin. nat. hist. XVI, 242 *Corne* appellari solet. Sed quisquis est locus, utrum rectius est *ad Colume* an *ad Columen?* Nominativum non esse *Columen*, sed *Colume* facile quivis credet; sunt enim vicina eiusdem terminationis *Praeneste*, *Caere*, *Teate*, *Nepete*. Quorum similitudinem qui sequetur, haud dubie praeferet *ad Colume*. Sed item vicinus est mons *Soracte*, qui cum plerumque neutro genere usurpari soleat accusativumque *Soracte* haud dubie habeat apud Sil. Ital. VIII, 492, apud Plin. nat. hist. VIII, 19 cum maxima codicum auctoritate editur *ad montem Soractem*, ibid. XXXI, 26 *ad Soracten*, ubi duo tamen codices boni suaeque familiae duces potius *ad Soracte* tuentur. Quare maiorem auctoritatem huc verti intelligimus, ut *ad Colume* rectius esse iudicemus. At c. 24 init., ubi Veronensis habet *legis tollendae esse nihilominus rem susceptam peracturos*, reliqui codices pronomen *se* inserunt, anceps erit iudicium. Nam, cum *esse* praecedat, pronomen vitio librariorum non minus addi quam omitti potuit Liviique parum constantem videri esse usum aliquot exemplis allatis ostendit Fabr. ad libr. XXI, 18. Nos tamen hoc loco cum unus sit infinitivus, non plures deinceps, in quorum consecutione semel pronomen poni facillime sufficiat, grammaticum servari Veronensemque errasse malimus. Sed dubitandum erit libr. III, 62, ubi Veronensis haec exhibet: *iam* || *alterum exercitum* || *victorem in urbem re* || *dicturum* (sic) *sibi ultro* || *per contumelias hos* || *tem insultare quan* || *do autem si tum non* || *sint pares hostibus fo* || *re*, ubi ad tertium infinitivum pronomen *se*, quod reliqui codices habent, facile cogitando suppletur. Ac quoniam de omissione pronominum dicimus, commemorabimus etiam libr. V, 55 init. Veronensem librum ab initio paginae habere: *dei movisse Camillus cum alia oratione-dicitur*, non *movisse eos Camillus*, quod reliqui codices addunt: quo quidem non incommode carebimus. Cum enim longa Camilli oratio antecedat, nihil quo pronomen referatur, adest. At recte idem codex libr. III, 38 idem pronomen addit: *legati ea ab*

Tusculo praesidium orantes nuntiant, quod cum in reliquis libris ms. deesset, olim tota constructio solebat mutari. Sed, ut in cursum redeamus, paulo post Ver. liber quod unice verum est, tradere praeclaramque Dukeri observationem videtur confirmare. Nam omnes codices exhibent: *obtinuit tamen P. Lucretius praefectus urbis* nec Mediceus recedit, apud quem est *obtinuit tamen p. l. lucretius*, ubi quae inseritur littera *l*, eam ex prava repetitione litterae insequentis natam esse vitiumque librarii casu ei quod verum est simile intercessisse statuemus. Nam Mediceum nec reliquorum librorum auctorem esse diximus et ex communi tamen cum iis capite deductum esse constat. Sed vere Dukerus praefectos urbi apud Livium non esse observat nisi consulares viros: inter consules autem praeter illum T. Lucretium anni 508 et 504 a. Chr. est tantum L. Lucretius Tricipitinus, qui ante triennium fuit (Liv. III, 8): atque hunc indicat Veronensis liber omnibus litteris Lucium appellans. Nec minus vere idem liber in exitu eorum, quae descripsimus, habet: *adfirmantibus qui una meruerant secum eum tum frequentem ad signa sine ullo commeatu fuisse*, quod ita placet, ut recentiores editores Drakenborchii iudicium sequi quodque in reliquis libris omnibus est *frequentemque ad signa — fuisse* contemnere debuisse videantur. Etenim qui Caesonem exculpabant milites, ut eum Romae esse non potuisse ostenderent, non hoc afferebant in castris eum fuisse, quae quoniam propinqua fuerant, paucis horis in urbem excurri potuerat, (ac norant certe etiam Romae tunc eum meruisse) sed unum hoc, tam brevibus intervallis eum secum sub armis fuisse, ut nulla Romam redeundi facultas daretur. Rectius igitur omittitur particula; quae tamen etiam quomodo nonnullis probari atque in Symmachianos libros pervenire potuerit, intelligo. Ut autem hic omissio particulae placuit, ita eiusdem adiectio probanda erit lib. V, 44, ubi Camilli Ardeates ad caedem Gallorum incitantis haec verba solent edi: *capite arma frequentes, me sequimini ad caedem, non ad pugnam*. In quibus pronomen *me* cur ab initio sententiae positum sit iure miremur. At Veronensis scribit *capi* || *te arma frequentesq.* || *me sequimini* cet., particula *que* rectissime addita: quae tamen si una littera significaretur, quam facile excidere potuerit, apparet. Sed ut ad hunc, de quo proprie agimus, locum redeamus, erat in eo, quod cum in Veronensi libro rectius esse videretur, tamen ne in reliquis quidem prorsus inepte tradi censeremus. Similiterque iudicamus de eo, quod paulo ante reliqui codices exhibent: *fratrem Volsci — non modo visum in publico*, Veronensis solus *in publico visum*: illud elegantiam quandam captat, hoc simplicitate praestat. Tenere igitur hic videmur vestigia quaedam, secundum quae exploremus, quibus rebus Symmachiana recensio ab reliquis Livii exemplis discesserit. Vellem profecto liceret indicare, quid supra ab initio huius loci Veronensis librarius scripserit, ubi quod ceteri consensu habent: *victor — exercitu relicto castra locat*, vix videtur posse ferri, nec ferendum esse statuerunt veteres editores: recentiores autem quod *exercitu relicto* putant esse i. q. *exercitu non*

reducto Romam, videant, ne et sententiam corrumpant et Latinitatem perdant. Sed doleo, cum evanidae essent litterae, non repetita consideratione ad haec verba me pervenisse: poterunt enim vel ipsa dignosci vel certe *relicto* non fuisse intelligi. Superest ut animadvertam hoc loco genitivum *mensum* etiam Veronensis auctoritate confirmari, aliis locis non prorsus certum. Nam infra c. 25, 4 Vaticani certe corrector praebet *mensium;* VIII, 2, 4 magnopere dubium est, an iam prima manus scripserit *mensium* et IX, 43, 21 certe altera ita scripsit, ut ex prima decade tantum IX, 33, 6 et X, 5, 12 sine insigni varietate relinquantur. Credo igitur de forma *mensum*, praesertim cum alias eiusdem generis formas saepe apud Livium reperiri videam, velut VI, 14 in Mediceo *parentum* sine correctione invenitur.

Adiungamus denique Veronensis libri p. 282 (libr. III, 18 extr.), quae etsi non modo alterius ordinis pars fere dimidia externa tota periit, verum etiam in priore ordine compluria minus perspicue legi poterant, tamen propter argumenti quandam affinitatem elegimus; continentur enim iis item, quae Caesonis Quinctii causam insecuta sunt. Leguntur igitur ibi haec:

prius vicit quam se pug
nare sine duce sentiret
multi exulum caede sua
foedavere templum mul
ti vivi capti Herdonius
interfectus ita Capitoli
um recuperatum de cap
tivis ut quisque liber aut
servus esset suae for
tunae a quoque sumptum
supplicium est Tuscula
nis gratiae acte Capitolium
purgatum adq. lustratum
in consulis domum ple
bes quadrantes ut fune
re ampliore *efferretur*
iactasse fertur iactas
se fertur parta pace in
stare tum tribuni patri
bus ut Valeri fidem ex
solverent instare Clau
dio ut collegae deos ma
nes fraude liberaret
agi de lege sineret cons

se summo *patrum stu*
dio Lucius Q*uinctius Cin*
cinnatus pa*ter Caesonis*
caes. creat*ur qui magis*
tratum sta*tim occipe*
ret perculs*a erat plebes*
coss. habit*ura iratum po*
tentem fa*vore patrum*
virtute sua t*ribus liberis*
quorum *nemo Caeso*
ni cedebat *magnitudi*
ne animi *consilium*
adhibendo *ubi res pos*
ceret prior*es erant is ut*
magistratu*m init adsi*
duis contio*nibus pro tri*
bunali non *in plebe coer*
cenda quam *senatu cas*
tigando veh*ementior*
fuit cuius o*rdinis languo*
re perpetui *iam tr. pl. non*
ut in rp. pr. se*d ut in per*
dita domo li*ngua crimi*
nibusq. reg*narent cum*

antequam collegam si
bi subrogasset negare
passurum agi de lege haec
tenuere contentiones
usq. ad comitia coss. sub
rogandi decembri men

Caesone filio *suo virtu*
tem constan*tiam*
*om*nia iuventu*tis belli do*
mique decor*a pulsa ex ur*
be Romana et *fugata es*
se loquaces . . . .

Hoc loco vitiosi sane sunt et Mediceus et Vaticanus liber. Nam in illo est *libera ut servus* et *suae fortuna ea quoque sumptum*, unde merito eum ex libro, qui vocabula perpetuo scripta nec spatiis divisa haberet, descriptum esse coniicias. Habet idem *ampliore ferretur*, *Quintius*, ubi altera manus litteram *e* adiecit, tum *in perdita modo lingua*. Hic etiam vitiosior est. Etenim praeterquám quod suo more orthographiam mutans *fedavere templum* scribit et *in plebe cohercenda*, habet *ut quisque liberavit servus esset* et *pace parta*, quod num ei, quod Mediceus habet *parta pace* praeferendum sit, quia in Veronensi haec verba perierunt, indicare non possumus; tum secunda manus accessit, quae quod fuerat *funere ampliore referretur*, mutavit *funere ampliore eferretur*, quod *Publi Valeri* fuerat, mutavit *Publii Valerii*, quod *uberes poscerent*, correxit *ubi res poscerent*, pro *adsiduis contionis* posuit *adsiduis contionibus*, pro *quam senatu castigando* scripsit *quam in senatu castigando*. Eademque cum fuisset *criminibus quaequae regnarent*, fecit *criminibusque regnarent*, et ex *locacibus loquaces*. Multi igitur sunt errores nec leves profecto, sed omnes eiusmodi, ut eos ab communi genere errorum, quos librarii admittere solent, parum discrepare intelligas. Nec Veronensis eodem genere vacat; scripsit enim *acte* pro *actae* et *haec tenuere contentiones* pro *hae tenuere contentiones;* sed illud maxime memorabile, quod vocabula duo *iactasse fertur* bis scripsit, quae etsi non lecta sunt a nobis in codice perspicue, supplenda tamen sunt in insequentis versus lacuna. Hoc vero erat eiusmodi, ut si qui vel mediocris emendator quae librarius scripserat legisset, relinquere non posset: quod cum tamen supersit, insigni exemplo a nemine librum Veronensem emendatum esse docet. Quamquam minus tamen insigne hoc exemplum est quam alia, quae aliis locis notavi. Velut libr. V, 55 (in codice p. 274) cum in prioris ordinis exitu haec essent *urbs aedificari coepta tegula publice praebita est sa*, eadem ab initio alterius ordinis repetita sunt nec tot verborum repetitio aut significata aut sublata est. Similique de causa magna extitit lacuna libr. III, 62 (cod. p. 276), ubi cum reliqui libri sic habeant: *gesturum se illis morem posteroque die in aciem deducturum adfirmat. Reliquum die apparandis armis consumptum est. Postero die simul instrui Romanam aciem Sabini videre* cet., Veronensis librarius quod bis legebat *postero die*, iis quae media sunt omissis, scripsit: *gesturum se illis morem posteroque die simul instrui Romanam aciem Sabinis* (sic enim vitiose habet) *videre*. Cuius similes lacunae si quae in aliis bonis codicibus accidunt, diligentia emendatorum

solent suppleri: in hoc codice qui manifestis vulneribus mederetur, nemo erat. Itaque *consulis* vocem in hac quoque pagina cum magna inconstantia scribi non mirabimur. Cum enim semel *consulis* omnibus litteris exaretur, alio loco idem casus et accusativus scribuntur *coss.*, tum nominativus bis *cons.* (nam quod in altero ordine vs. 4 legi *caes. creatur*, esse oportere *cons. creatur* existimo), ut librarium haec pro libidine sua administrasse appareat. Nec vero propterea quicquid in Veronensi omittitur, vitio videbitur omitti iudicioque adhibito an reliqui codices, quod non opus sit atque ab interpretis alicuius addimento proficiscatur, addant, erit examinandum. Nam quod cap. 19 ineunte Ver. scribit *ut Valeri fidem exsolverent* omisso *Publii* praenomine, quod reliqui libri fere omnibus litteris expressum adiiciunt, recte fieri arbitror; item enim alter consul *Claudius* sine praenomine appellatur (cf. supra p. 26). Placeret etiam, si in Veronensi constaret esse *consilium adhibendo*, pro quo reliqui libri *consilium et modum adhibendo* scribunt (nam non tam de modo agebatur, quam de prudentia, quam quaeque res posceret), sed si litteram *m* lineola significari statuamus, etiam alterum substantivum versus capiat. Quamquam aliis locis abesse ab Veronensi iudico, quae recte absint. Velut libr. IV, 21 ex reliquorum codicum auctoritate sic editur: *Pestilentior inde annus — tantum metum vastitatis in urbe agrisque fecit, ut non modo praedandi causa quisquam ex agro Romano non exiret bellive inferendi memoria patribus aut plebi esset, sed ultro Fidenates, qui se primo aut oppido aut montibus aut muris tenuerant, populabundi descenderent in agrum Romanum.* Quo loco Veronensis codicis lectio admodum est memorabilis. Peccat ille quidem sine dubio *in urbem agrisque*, de quo genere erroris supra diximus, sed quod negationem ante exeundi verbum omittit, haud scio an recte omittat, conferendaque, quae simillimae conformationis sunt libr. XXIV, 40 *tantus terror omnes occupavit, ut non modo alius quisquam arma caperet — sed etiam ipse rex — ad flumen navesque perfugerit.* Item probandum, quod habet *bellique inferendi:* vix enim quicquam vel in re vel in nomine reperiatur, quin praedari et bellum inferre idem esse videatur, atque hoc ex illo consequi particula *que* significat. Sed haec leviora, illud longe maius, quod idem *aut oppido* omittit. Quod cum in omnibus libris ms. esset, Dukerus *muros* cogebatur intelligere castella munita, vicos muris circumdatos, qualia in Fidenatium bellis nunquam commemorantur. Nunc muris ipsum Fidenatium oppidum indicari videbimus quodque in codicibus est *aut oppido*, interpretandi causa ascriptum esse. Difficilius est iudicium libr. IV, 14, ubi de caede Maeliana narratur: *Haec eum* (Maelium) *vociferantem adsecutus Ahala Servilius obtruncat respersusque cruore obtruncati stipatus caterva patriciorum iuvenum dictatori renuntiat* cet. Hic Veronensis codex genitivum *obtruncati* omittit: in quo quis eum vituperet aut brevitati consuluisse neget? Quamquam totus ille locus de caede Maeliana minus nunc recte in editionibus constituitur neque nobis sine

brevi commemoratione videbatur esse praetermittendus, praesertim cum causam rursus in vocabulo omisso versari existimaremus. Editur igitur sic: *Cum pavidus ille* (Maelius) *quid vellet quaereret, Servilius causam dicendam esse proponeret crimenque a Minucio delatum ad senatum diluendum, tunc Maelius recipere se in catervam suorum et primum circumspectans tergiversari, postremo cum apparitor iussu magistri equitum duceret, ereptus a circumstantibus fugiensque fidem plebis Romanae inplorare et opprimi se consensu patrum dicere quod plebi benigne fecisset: orare ut opem sibi ultimo in discrimine ferrent neve ante oculos suos trucidari sinerent. Haec eum vociferantem* cet. In his quivis enuntiatorum, quibus oratio constat, inaequalitatem miretur. Nam in priore parte, et quod Maelius et quod Servilius fecit, ex coniunctione *cum* apta sunt, in posteriore tantum quod apparitor fecit, ex eadem pendet ac quod Maelius fecit, cum insigni quasi dicendi ubertate in tres infinitivos diducitur. Deinde vix sententia recta est. Nam qui particula *postremo* utitur, quid postremum fuerit, dicturus est, i. e. in causa Maelii, quid fuerit illud, quare occisus sit, quid criminum, quae in eum congererentur, extremum atque eiusmodi fuerit, ut statim poena afficiendus esse videretur. Iam, quod eripiebatur a circumstantibus, quod fugiebat, quod fidem plebis implorabat (praestari autem ea poterat multis modis legitime), quod opprimi se dicebat, haec omnia darentur crimini, sed caede non erant statim vindicanda. At qui orationem habet adhortans ad opem praesentem sibi ferendam, seditionem concitat ac merito statim occiditur. Hinc efficitur, ut particula *postremo* cum orandi verbo sit coniungenda. Denique conficit rem codicum ratio. Nam quod Mediceus habet *imploraret*, itemque secunda manu *diceret*, poterat fortasse sperni, siquidem saepe eum ita peccare vidimus. Sed etiam in Veronensi libro, cum ex superioribus quaedam sint parum perspicua, haec certe leguntur: *fugiensquae et* || *fidem plebis Romanae* || *inploraret et opprimi se* || *consensu patrum dice* || *ret quod plebi benigne* || *fecisset orare ut opem sibi* || *ultimo in discrimine* || *ferret neve ante oculos* cet. Habet igitur hic quoque coniunctivos *inploraret* et *diceret*, qui iam pro librariorum erroribus haberi non poterunt. Quae cum ita sint, sic scribendum esse censeo: *postremo, cum apparitor iussu magistri equitum duceret, ereptus a circumstantibus fugiensque et* (nam hoc servandum esse arbitror) *fidem plebis Romanae imploraret et opprimi se — diceret —, orare ut opem sibi-ferrent.* Unum illud dubium relinquitur, an inserto pronomine *ille* scribendum sit *ille ereptus* vel *ereptus ille;* videantque, qui postea codicem collaturi sunt, an vestigia eius, quae nos dignoscere non potuimus (nam spatium tantum idoneum superesse intelleximus) inveniant. Ac quoniam coepimus compluria ex diversis locis eiusdem generis vitia congerere, pauca dicamus etiam de codicis Veronensis p. 306, ubi quae apud Liv. V, 44, 3 *et pro tantis* usque ad 45, 2 *cum ingenti clamore* sunt, nisi quod prioris ordinis principium periit, satis perspicue leguntur: ex quibus

iam quaedam, quae probari non possent, allata sunt. Sed probandum certe est ipsum principium, ubi cum Mediceus exhibeat *pro tantis prolatinis pr. beneficiis*, deletis tamen altera manu litteris *ni*, Vaticanus *pro tantis prolatinis pi r. beneficiis*, editoribus fere placuit, quod in deteriore aliquo codice est *pro tantis pristinis populi Romani beneficiis:* in quo pristina dici beneficia, si accepta intelligantur, inutile est, si olim accepta, parum verum, recteque vocabulum coniectura, non auctoritate effectum abiecit M. Hertzius, cuius iudicium Veronensi libro, quod item omittit, confirmatur. Nec minus omisso pronomine *ea* scribi debuit *nec enim exprobranda apud memores sunt;* nam sic utique Veronensis habet quodque in Mediceo legitur *exprobrande apud* et quod in Vaticano *exprobrandae apud*, errore videntur esse orta. Dubium autem erit iudicium paulo post, ubi ex reliquorum librorum fide editur *nunc ab secundis rebus magis etiam solito incauti*, Veronensis praepositionem *ab* omittit. Nam et saepe ea Livius ad causam indicandam utitur, et tempus, quo causa continetur, ablativo potest significari. Non dubito equidem, ubi editores cum levi emendatione scribunt: *qui effuso agmine adventant, gens est*, quod etsi Latine dici posse non nego, nisi de certa tamen auctoritate scribi nolim. Iam Mediceus habet *qui effuso agmine adventat*, *gens est*, in quo utrum relativum an verbum emendari oporteret, recte ambigebatur: nunc cum Veronensis praebeat item singularem *adventat* (nam relativum in principio ordinis, quod periit, legebatur), eum non ab casu erroris, sed ab consilio scribentis profectum relativumque potius emendandum esse intelligamus. Nec dubitamus paulo post, ubi ex Medicei auctoritate editur *primae silentio noctis*, quod minus nobis videtur esse aptum. Neque enim aut semper prima nox silentium affert aut eam tunc attulisse iam Livius dixerat. Quare quod Vaticanus et Veronensis exhibent *primo silentio noctis* praeferimus. Superest ille locus, ubi Camillus ad Ardeates sic dicit: *si vobis in animo est tueri moenia vestra nec pati haec omnia Galliam fieri.* Id et acerbe nec sine quodam acumine dictum est. Quam frigidum contra est, quod Veronensis cod. habet *haec omnia a Gallis fieri!* Dubito tamen num id suo ingenio librarius, quem cum saepe peccaret, indoctum tamen nec ullius eruditionis fuisse vidimus, invenerit nec cum fide ex eo, quod describebat, exemplo expresserit, ut rursus vestigium aliquod deprehendi videatur, quod a grammaticis apud Livium quae non placerent mutata recensionumque quandam diversitatem natam esse ostendat. At librariorum tantum ignorantia ac mala industria cognoscitur lib. III, 26 in clara illa de L. Quinctio Cincinnato narratione, ubi omnes, qui adhuc noti sunt, codices sic fere habent: *Ibi ab legatis seu fossam fodiens palo innixus seu cum araret*, *operi certe id quod constat agresti intentus salute data invicem redditaque rogatus* est. In quibus *palum* parum recte dici veteres interpretes intellexerunt, cui qui inniteretur, eum ab opere requiescere, Cincinnatum autem tradi intentum fuisse operi. Quare Sabellicus scripsit *palae innixus*

idque vulgo ab editoribus nunc probatur. Iam Veronensis haec habet: *ibi ab legatis* || *seu fossam fodiens pe* || *lelo innixus seu cum* || *araret operi certe id quod* || *constat agresti inten* || *tus salute data invicem* || *redditaque rogatus* || *ut quod bene verteret* || *ipsi reiq. p. togatus man* || *data senatus audiret* || *admiratus rogitans* || *satin salve togam pro* || *pere e tugurio proferre* || *uxorem Raciliam iubet* cet. In quibus *pali* nullum vestigium potiusque, si syllabae alterius repetitionem librarii errore (nec eum in ipso hoc genere rarum esse docuimus) admissam esse putabimus, ad *palam* deducemur, ac fatemur prioris syllabae vocalem *e* parum perspicue in codice esse lectam. Confirmatur igitur Sabellici coniectura, sed num Symmachiana Livii exempla *palum* praetulissent diversitasque recensionum teneretur, posset dubitari, nisi Vaticanus codex *palae innixus* sine ulla correctione haberet. Nunc vocabulo rariore librarios inductos suumque potius quam quod legerent, reddidisse videmus. Quod autem hoc loco est *satin salve*, magnopere vexavit librarios, cum in nullo codice recte vel certe sine alterius manus emendatione legatur; nam etiam Vaticanus habet *satine* (imposita ab emendatore littera *s*) *salva essent omnia*. Quod tamen recte in Symmachianis aliisque saeculi quarti exemplis legi consuevisse Veronensis liber ostendit. Superest, quod idem particulam *que*, quae in reliquis codicibus prope omnibus participio *rogitans* adiicitur, omittit: et omittit recte. Nam ut paulo supra est *palae innixus fodiens*, ita hic *admiratus rogitans*, notabili, sed maxime Liviana participiorum cumulatione.

Omittimus varia Veronensis codicis per eos, quos maxime examinavimus, locos vitia, quod III, 29 *at vasta agros* habet, non *ad vastatos agros*, ut debuit, quod c. 30 *de dilecta*, non *de dilectu*, quod III, 62 *ex transversu*, non *ex transverso*, quod V, 54 *in comitia*, non *in comitio* ibidemque *pertenebat*, non *pertinebat*, item quod in littera *n* vel omittenda vel adiicienda peccat, ut III, 29 est *duo exercitus aberat*, c. 30 *vincebantur-consulare imperium*, c. 38 *quid opus facto sint*, c. 62 *tollite hinc indicem voluntatis-vestrae*, unde difficile dictu est, utrum ipse verius scribat III, 29 *plebs* (*sic*) *vicit ut quintum eosdem tribunos crearet*, an plurimi alii *plebes vicit, ut — crearent*. Quae qui cogitabit, libr. III, 29, ubi Veronensis non minus quam reliqui boni codices, inter quos etiam Vaticanum reperi, exhibet *Lanuvium exilium abiit*, quin praepositio *in* errore exciderit, non dubitabit: quae praepositio c. 38 diverso errore effecit, ut littera *m* hauriretur in Veronensi, sic scribente: *trepidatione iniecit*. Nec minus brevi commemoratione praetermittemus, quae fortasse probanda sunt ac certe iis, quae vulgo eduntur, minime cedunt, quod III, 29 Veronensis habet *L. Mamilio — civitas data*, omisso verbo *est*, quod c. 38 *addidit*, non *addit*, quod IV, 21 *ab Verginio senatus*, quod V, 44 *Capitolioque iis exigua resistitur manu*, quamquam hoc longe magis placet, quam reliquorum codicum lectio *his exigua resistitur manu*. Sed haec commemoranda tantum esse putavimus: plura verba

postulant tres aliae res. Etenim libr. III, 38 Veronensis liber habet: *depo* || *pulanturque inde ex* || *cursationib. Tuscula* || *num agrum*, cum edatur atque in omnibus cod. sit *excursionibus*. Nova est vox *excursationis*, sed profecto bona, etsi verbum excursandi non reperitur: neque illius vestigia apud scriptores desunt. Nam apud Valer. Max. II, 3, 3 omnium codicum auctoritate defenditur ac sine dubio restituenda est: qui si usus est, facile etiam Livius, quem ille imitabatur, videbitur usus esse. Atque invenitur apud hunc *excursatio* in multis codicibus libr. XXXVII, 18, 4 et XXXII. 10, 9; nam alibi (III, 61; XXX, 8, 4 et 11, 6; XXXVII, 14, 3 et 18, 9) excursionem sine varietate lectionis dici video. Nunc quin vocabulum sit Livianum, non dubitabitur (nam saeculo quarto ei tributum esse constat); quibus autem locis restituendum sit, ex codicum fide iudicabitur. Tum libr. III, 62 omnes codices habent: *proelium fuit quale inter fidentes sibimet ambo exercitus, veteris perpetuaeque alterum gloriae, alterum nuper nova victoria elatum*, at in Veronensi legitur: *veteris perpetuaeq. al* || *terum victoriae alterum* || *nova nuper victoria e* || *latum*. In his utra verborum collocatio melior sit, difficile est dictu, etsi inclinat animus, ut *alterum nova nuper victoria elatum* praeferam. Sed quod Veronensis habet *veteris perpetuaeque victoriae*, quale esse dicemus? Latinum quidem est sine dubio; nam ut veteris gloriae dicitur exercitus, item veteris victoriae potest dici. Convenit idem sententiae diciturque adeo magis proprie; siquidem gloriam pepererat victoria. Intelligo etiam emendatorem elegantiae cuiusdam studio, ne bis idem vocabulum repeteretur, moveri potuisse, ut cum esset *victoriae*, corrigeret *gloriae*. Quare incertum videtur esse, an hic quoque non librariorum error, sed recensionis, quam dicimus, discrepantia teneatur. Denique libr. IV, 21 notandum vitium, quod in omnibus editionibus conservari video, quod scribitur *obsecratio itaque a populo duumviris praeeuntibus est facta*. Pro quibus quod Veronensis liber habet: *obsecratioque a populo duoviris praeeuntib. est facta*, nec particula *que* pro *itaque* posita displicet (ac videndum esse censeo, ne saepius apud Livium, si *itaque* non ab initio sententiae legatur, scribendum sit *que*) et profecto reliquorum codicum *duumviri* ferri non possunt. Constat enim nunc, opinor, recte dici duumvirum, sed falso duumviros. Genuit hoc vitium pessima aetas, cum extincta Latinitate soloecismi non animadverterentur, non tantum apud alios scriptores, verum etiam apud Livium, cuius in optimis codicibus per primam decadem saepe reperiuntur *duumviri*, velut I, 26, VI, 20, III, 10, V, 13, VI, 37, VII, 28, IX, 30, et *triumviri*, velut IV, 11, VIII, 16, IX, 28, omnibus semper litteris expressi. Atque ipsam hanc ob causam, quod omnes litterae scriberentur, vitium natum est; nam veteres scribebant nota numerali, a quo more homines ne quarto quidem saeculo descivisse ostendit libr. III, 38 Veronensis liber bis X *viros* nominans, quos reliqui codices *decemviros* scribunt. Sed quid? Si *duumviris* soloecum est, nonne pariter *duoviris*, quod h. l. Veronensis liber

habet, soloecum debet videri? Non videtur; nam genitivus ut cum ablativo componatur, fieri non potest, sed ut propter longitudinem quandam formae numerale *duo*, ubi dativo vel ablativo adiungeretur, casum ipse nullum reciperet, fieri potuisse censeo. Genitivus quidem utique fuit *duumvirum* et *triumvirum*. Quamquam locis scriptorum haec, quae ratio docet, confirmare non possum efficiturque, ut, cum *duumviris*, quod h. l. reliqui codices habent, falsum sit, et incertum relinquatur, an *duoviris* ferri possit et *II viris* ex antiqua consuetudine scribere tutissimum sit.

Veruntamen veremur profecto, ne dum currit calamus animusque cupiditate praestantissimi scriptoris vel explicandi vel emendandi effertur, longius progrediatur oratio nostra, quam aut haec occasio aut institutum nostrum patitur. Neque enim id agimus, ut quicquid in Veronensi libro utile est, exhauriamus; ne potuimus quidem, quia non omnia perlustravimus. Sed illud sequebamur, ut virorum doctorum studia excitaremus iisque, qui Livii cupidi sunt, ex Veronensi libro, quamvis vitioso, si iudicium reliquorumque codicum comparatio adhiberetur, disci posse demonstraremus. Effecimus igitur antiquissimum esse codicem Veronensem atque antiquiorem adeo, quam eum, ex quo Mediceus reliquique primae decadis Livianae libri expressi sunt: quem ipsum reliquorum quasi parentem ex tribus Symmachianorum amicorum recensionibus tamquam conflatum saeculique quarti more vocabulis continuis nec spatio discretis scriptum fuisse coniecimus. Qua in quaestione et Vaticanum librum, in nonnullis rebus levioribus librariorum libidine corruptum, in plurimis satis bonum, cognovimus, et Mediceum ita peccare vidimus, ut pro reliquorum, qui extant, codicum quasi fonte atque origine haberi non possit. Veronensis autem naturam dum examinamus, non paucis eum eius, qui scripsit, erroribus maculatum nec ulla eius, qui vel cum αὐτογράφῳ compararet vel de ingenio suo mutaret, cura emendatum esse invenimus: apparebant etiam quaedam, quae in Symmachiana recensione consilio mutata esse viderentur, unde coniectura fieri potest, quid omnino illius aetatis emendatores conservandarum litterarum studiosi in scriptoribus annotare atque observare consuerint.

Quae cum effecerimus vel voluerimus certe efficere (nam utrum effecerimus necne aliorum sit indicium; illa certe secuti sumus), quod et huic tempori et nostrae facultati satis sit, videmur praestitisse. Subito enim haec scribere iussi scripsimus properantes cupimusque desinere. Sed retinet nos una res, de qua et dicere molestum est, et non dicere vix honestum. Etenim orthographia Latina postquam nostro tempore moveri coepta est, non potest a quoquam, qui de codicibus scribat, recte praetermitti. De qua hoc tantum disputabimus, num codices Liviani eiusmodi sint, ut eorum auctoritatem diligenter sequendo ad aliquam ipsi constantiam Livianaeque orationis similitudinem pervenire possimus. Non negamus, ex omnibus codicibus, dummodo ne barbarie prorsus corrupti sint, multa posse disci multaque in orthographia, qua paulo ante utebamur, corrigi; raro enim antiquitas in hoc genere

ita est extincta, ut non aliqua eius vestigia supersint. Sed non hoc sequimur: illud quaerimus, antiquissimi codices Liviani utrum ipsius auctoris orthographiam exhibeant, an passim librariorum vel libidine vel negligentia mutati sint. Ac Vaticanum quidem in hoc ipso genere suae aetatis more corruptum esse vidimus, nec Mediceum quisquam existimabit tanta cum fide esse scriptum, ut non suo librario, sed Livio quid placuerit ostendat. Quamquam hi extincto iam imperio Romano scripti sunt, at Veronensis exeunte saeculo quarto confectus num item suae aetatis orthographiam ostendit? an vero antiquam illam, qua Livium ipsum usum esse probabile est, sequitur? Non afferam hoc loco, quod tertiae declinationis substantivorum nominativi et accusativi modo in *is*, modo in *es* formantur; nam III, 7 est *mentes eorum*, *Tusculanos colles*, *ubi cum hostes*, c. 8 *hostes fundit fugatque*, *in Tusculanos flexere colles*, *itaque hostes*, c. 23 *ad unum omnes occidit;* at c. 8 est *finis suos*, *transcendisse hostis*, c. 23 *recipientis Romanus — occidit*, *finis ingenti*, ut in eodem vocabulo utraque forma inveniatur. Sed magna inconstantia est in substantivis in *ius* et *ia* et *ium* desinentibus. Nam nominativus *obvii* et *alii* est III, 7, item bis c. 12, c. 13 *patricii*, sed c. 29 *idem*, non *iidem*, tum c. 7 *opimum copiis*, *obsessis sociis*, c. 8 *praesidiis*, c. 12 *vitiis*, c. 24 *indiciis*, V, 44 *custodiis*, at III, 7 videtur fuisse *fidesque sua socis;* genitivus est III, 19 *Valeri*, c. 29 *M. Volsci*, IV, 21 *Servili*, at III, 7 *auxilii*, III, 62 *consilii*, in quibus casum versatum esse vix poterimus negare. Sed magis etiam casus dominatur, cum *ae* pro *e* vel contra scribitur. Nam III, 12 est *quaerentes mulcatos*, *praeces* (sed IV, 21 *precibus*), c. 13 *praemebat*, c. 29 *aegregiae*, V, 44 *aegressi*, at III, 26 *egressi*; III, 18 *gratiae acte*, c. 26 *longae Romane iuventutis*, c. 62 *maturae* pro adverbio, *que* (pro eo quod nos solemus *quae* dicere) *in sinistrum*, IV, 21 *magistratum aequitum* (at III, 27 *magistrum equitum* et *magistro equitum*) aliaque passim eiusdem generis. Ac particula *que* modo sic scribitur, modo *quae;* nam III, 7 est *hominumquae*, *tempestasquae*, *latiniquae*, (si Detlefsenio fides habenda est; nam nos incertum esse putavimus), *inopsquae*, c. 8 *dispositisquae*, c. 12 *suosquae*, c. 29 *ulteriusquae*; at c. 38 *depopulanturque*, c. 7 *transversisque*, c. 8 *fugatque*, c. 19 *domique*, c. 62 *virtutisque* et *posteroque*, IV, 21 *terroresque;* ibid. *agrisque;* V, 45 *neclectaque*. Eademque inconstantia reperitur in consonantibus. Etenim III, 8 legitur *aliquod interregna*, c. 13 *aliquod annos*, tum c. 12 *adque adulescentiae*, c. 18 *adque lustratum*, c. 26 *adque amici*, c. 38 *adque pecudum*, IV, 21 *Anienem adque* et III, 23 *aput plerosque*, *aput vetustiores*, at V, 44 *apud memores*, ac particula negativa est III, 7 *haud minor*, c. 13 *haud multo*, c. 38 *haud ignari* V, 45 *haud procul*, at III, 13 *haut multum*; item c. 62 *inquid*, at IV, 14 *inquit*. Deinde c. 7 legitur *opstitissent*, at c. 29 *dictatoris obstitit* et c. 7 *obsessis*, c. 24 *obtinuit tamen L. Lucretius*; IV, 21 *obsecratio*; III, 18 *exulum*, at c. 19 *exsolverent;* c. 19 bis *collegae*, at IV, 14 *Conlina porta;* III, 24 *commeatu*, c. 7 *communibus*, at V,

44 *communi*, III, 38 *conprimerent;* III, 7 *impleant*, c. 8 *impetrata*, c. 13 *impetu*, at c. 8 *inpigre*, c. 26 *inperii* (at paucis verbis post *imperio*, ut item c. 38 *imperioque*), c. 38 *inmineret*, IV, 14 *inplorare;* III, 24 *adsurrexisse*, c. 29 *adprobantibus*, V, 44 *adpetit;* at III, 13 *arripi.*

Haec igitur num ita ab Livio ipso profecta esse putabimus? Qui quamvis haec parum curaret, tamen non adeo potuit esse negligens, ut eadem vocabula alio loco aliter scriberet. Nec vero ea librariorum culpae tribuemus, qui cum quae ab ipso Livio vel eius aetate scripta esse putarent, cum fide vellent reddere, negligentia peccarint invitique tantam inconstantiam effecerint. Nimis enim multa peccantur nec Veronensis libri, quamvis nulla viri docti cura emendati, hoc ingenium est, ut eum cum diligenter ἀρχέτυπον exprimeretur, in tertio vel quarto quoque vocabulo vitiosum esse debeamus statuere. Relinquetur, ut librarios, cum orthographiam Livianam vel reddere nollent vel reddi posse desperarent, ex suae quemque aetatis ingenio mutasse existimemus, modo cum fide, quod invenirent, expressisse, modo quod ipsis magis probaretur, scripsisse. Nec profecto Veronensem librarium unum hac ratione usum esse arbitrabimur, sed et eos, qui ante eum Livianas historias repetiverunt, et qui postea extincto imperio Romano cum Latinitas perisset, descripserunt: ipsos illos emendatores, quos Livius saeculo quarto habuit, ad alia vitia corrigenda facile credo attendisse, hanc orthographiae rationem constanter ad antiquam normam revocare nec potuisse nec voluisse censeo. Quae cum ita sint, hodierni editores, qui laudabili codicum ms. studio capti etiam orthographiam omnem ex iis exprimendam esse censent, videant, ne optimam rem in usum parum probabilem convertant, ac dum ipsius scriptoris elegantiam assequi sibi videntur, non modo constantiam omnem, qua nihil in orthographia melius esse iudico, abiiciant, verum etiam ab Livio longissime recedant.

Schulnachrichten.

Von Michaelis 1858 bis Michaelis 1859.

A. Allgemeine Lehrverfassung.

Ober-Prima.

Ordinarius: Professor Zumpt.

Religion. Uebersicht der christlichen Dogmatik und Ethik. Lectüre des Neuen Testaments in der Ursprache. 2 St. Der Director.

Deutsch. 3 St. Vorgetragen wurde in 1 St. wöchentlich die Literaturgeschichte des 16. und 17. Jahrhunderts; zu dem Vorgetragenen wurden die betreffenden Stücke oder ausgewählte Beispiele gelesen. Zu den Aufsätzen wurde der Stoff der gegebenen Themata besprochen, dann die Disposition durchgenommen; die Correctur der Ausarbeitungen selbst wurde ebenfalls in 2 wöchentlichen Lehrstunden besprochen.

Themata zum deutschen Aufsatz im Winterhalbjahr 1858/59.

Worin ist das Tragische im Philoktet des Sophokles zu suchen? — Odysseus und Neoptolemos im Philoktet, als Gegensätze. — Die Folgerichtigkeit in der Charakterdarstellung des Philoktet. — Odysseus im Philoktet und im Aias des Sophokles, ein Vergleich. — Willst Du Dich am Ganzen erquicken, so mußt Du das Ganze im Kleinsten erblicken. (Goethe.) — In maxima fortuna minima licentia. — Die Kunst des Uebersetzens. — Die weltgeschichtliche Bedeutung des peloponnesischen Krieges. — Karls des Großen Einfluß auf Geschichte und Bildung des deutschen Volkes. — Die christliche Kirche und das römische Weltreich in den ersten Jahrhunderten bis Constantinus. — Worin besteht und wie äußerte sich der Gegensatz zwischen Joniern und Dorern. — Die beiden Scipionen. Eine Parallele. — Die Gedanken in den Vorreden des Salustius zum bellum Catilinare und bellum Jugurthinum in Verbindung gesetzt. — Inhalt des ersten Theils des Beowulf.

Warum stellt man die Ilias mit dem Nibelungenliede und die Odyssee mit der Gudrun zusammen? — Worin sind die Gründe zu suchen, daß Athen so viel große Männer hervorgebracht hat? — Die Kirchenlieder Luther's nach ihrem Ursprung, ihrem Wesen, ihren Wirkungen. — Die Volkspoesie nach ihrem Wesen und ihren Formen. — Wodurch erwecken die Homerischen Gedichte unser Wohlgefallen? — Unterschied des Eindruckes, den die Homerischen Gedichte auf uns und auf die alten Hellenen machten. — Erklärung des Spazierganges von Schiller. — Wenn die Rose selbst sich schmückt, schmückt sie auch den Garten. — Gorgias, Polos und Sokrates, nach dem Platonischen Gorgias. — Wer ist Bruder Martin in Goethe's Götz von Berlichingen? — Schilderungen von Oertlichkeiten im Horatius. — Der Uebel größtes ist die Schuld. (In Bezug auf die von Sokrates im Gorgias ausgesprochene Ansicht.) — Ein Extemporal-Aufsatz hatte das Thema: Warum und wodurch haben die Griechen den Sieg über die Perser davongetragen?

Sommerhalbjahr 1859.

Inhaltsangabe von der in der Klasse gelesenen Abhandlung Schiller's: Ueber das Erhabene. — Der Beruf des Menschen, nach Platon's Gorgias. — Das Gericht in der Unterwelt, nach Platon's Gorgias. — Werth und Aufgabe der Rhetorik, nach Platon's Gorgias. — Das

Verhältniß der Begriffe gut, schön und angenehm oder Tugend, Schönheit und Licht zu einander, nach Platon's Gorgias. — In wiefern kann die Dankbarkeit als eine Art der Gerechtigkeit angesehen werden, nach Platon's Gorgias. — Die Entwickelung der Handlung im Sophokleischen Aias. — Aias, eine Charakterentwickelung im Sophokleischen Aias. — Was heißt Gemeingeist? — Homo sum, nihil humani a me alienum puto. — Willst Du Dich selber erkennen, so sieh', wie die Andern es treiben; willst Du die Andern verstehn, blick' in Dein eigenes Herz. — Der Mensch erkennt sich selber nur im Menschen; nur das Leben lehrt Jeden, was er sei. — Sentenzen aus Schiller's Wallenstein, welche den Charakter desselben deutlich darlegen. — Andere Themata wurden den Schülern frei gestellt, jedoch so, daß die Wahl derselben nach einer allgemeinen Anleitung des Lehrers sich an die Klassen- oder Privatlectüre anschließen mußte.

Lateinisch. Im W.: Cic. Tuscul. I; im S.: Cic. de off. I; in beiden Halbjahren Tacit. Annal. XI—XV. 3 St. Häusliche Aufsätze, Klassen-Aufsätze, Extemporalien 2 St. Uebungen im Lat. Stil und mündlichen Ausdruck 1 St. Themata der Aufsätze: im W. a) Videaturne Xenophon recte fecisse, quod Lacedaemoniorum disciplinam Atheniensium institutis praetulit (zuvor für die Abiturienten). — Num recte fecerint Romani, quod philosophiae studium minus probarunt. — Merito exilium a veteribus pro gravissima poena esse habitum. — M. Brutus inter conjuratos occidendum esse Caesarem docet. — In utris maior patriae amor fuisse videatur, in Graecis an in Romanis? b) Leonidas num utilitati patriae consuluerit, cum ad Thermopylas occidere statueret? — Num verum sit, quod Cic. Tusc. I, 1 dicit, rempublicam Romanam melioribus et institutis et legibus temperatam esse quam Graecas? — Marcet sine adversario virtus. — Cur factum sit, ut Alexandri Magni regnum tam celeriter dilaberetur? — Stoicorum philosophia quantum apud Romanos valuerit? — In der Klasse: De Augusti Caesaris prudentia. — De fortitudine veterum Germanorum. — Gracchi utrum vituperandi an probandi sint. — Im S.: a) Nihil perniciosius fuisse veteribus civitatibus quam discordias civiles (zuvor für die Abiturienten). — Optimum quemque gloriae maxime studere. — Graeci num merito a Romanis tamquam homines leves contemnantur? — Romanorum imperium cur diuturnum fuerit. — b) Utrius leges meliores fuisse videantur, Solonis an Lycurgi? — Quibus externis dominis Aegyptii antiquis temporibus paruerint? — Quas expeditiones Graeci ante Alexandrum Magnum in Asiam susceperint! — Immortalitatis spe multos viros magnos ad patriam defendendam et augendam esse adductos. In der Klasse: De incerta hominum fortuna. — Felicitate corrumpi homines. Zumpt.

Griechisch. Im W.: Plato Gorgias; im S.: Thucyd. I. 3 St. Professor Denschle. Sophokles Ajax und Antigone, einige Bücher der Ilias und schriftliche Uebungen. 3 St. Der Director.

Französisch. Gelesen wurden aus Goebel's Bibliothek Bd. XI und XIX. Die schwierigeren Regeln aus der Syntax und die wichtigsten synonymischen Unterschiede wurden erläutert und mündlich wie schriftlich eingeübt. 2 St. Dr. Strack.

Mathematik. Im W.: Theorie der Reihen 2 St. Mathematische Uebungen 2 St. Im S.: Anwendung der Algebra auf Geometrie 2 St. Mathematische Uebungen 2 St. Professor Schellbach.

Mathematische Aufgaben für die Abiturienten.

Zu Ostern 1859.

1. Auflösung der Gleichungen

$$x + y + x^2 + y^2 = 36 \text{ und } 3xy + 2x^2 + 2y^2 = 88.$$

2. Wie verhält sich der größte Kegel, welcher auf einer Halbkugel geschnitten werden kann, seinem Inhalte nach zu dieser, wenn seine Spitze im Mittelpunkte der Kugel liegt.

3. In einem Dreiecke ist die Summe zweier Seiten und des auf die dritte gefällten $= 5$ gegeben; die Winkel sind α, β, γ. Wie groß sind die Seiten des Dreiecks?

4. Die Summe einer geometrischen Progression von 4 Gliedern ist $= 15$, die Summe ihrer Quadrate $= 85$; wie groß ist das erste Glied und der Exponent der Reihe?

Zu Michaelis 1859.

1. $(x + y)(x^2 + y^2)(x^4 + y^4) = a\sqrt[4]{+y}$

$$x^8 + y^8 = b\sqrt[4]{+y}.$$

2. $\frac{1}{x+a}+\frac{1}{x+b}+\frac{1}{x+c}+\frac{1}{x+d}+\frac{1}{x+a+b-c}+\frac{1}{x+a+b-d}=0.$

3. Die Seitenkante einer regelmäßigen sechsseitigen Pyramide ist $= a$; wie groß ist ihr Inhalt, wenn er ein Maximum ist?

4. In einem Dreiecke ABC ist die Seite AB $= a$ gegeben und die Winkel α, β, γ. Auf der Verlängerung von AB liegt ein Punkt D, von welchem aus die Linie DEF so gezogen werden soll, daß das Dreieck AFE die Hälfte des Dreiecks ABC wird.

Physik. Im W.: Optik 2 St. Im S.: Akustik 2 St. Schellbach.

Geschichte. Die neuere Geschichte von der Reformation bis zur Revolution. Repetition der Tabellen von Hirsch. Geographische Repetitionen. 3 St. Dr. Foß.

Hebräisch. Gelesen wurden Psalmen und cursorisch ausgewählte Stücke aus den historischen Schriften. Dazu kamen Uebersetzungsübungen aus dem Deutschen in das Hebräische und Commentare zu einzelnen Psalmen. 2 St. Professor Dr. Uhlemann.

Zeichnen. Freies Handzeichnen nach Antiken und den besten Vorlegeblättern. 4 St. Maler Professor F. Bellermann.

Unter-Prima.

Ordinarius: Professor Dr. Deuschle.

Religion. In beiden Halbjahren: Die Geschichte der christlichen Kirche von dem apostolischen Zeitalter bis zur Reformation, mit besonderer Berücksichtigung der darin sich entwickelnden kirchlichen Dogmen. Nebenbei wurden Kirchenlieder auswendig gelernt und bereits gelernte wiederholt. 2 St. Professor Dr. Uhlemann.

Deutsch. Literaturgeschichte: Von Anfang bis Hartmann v. d. Aue (incl.) Declamationen, freie Vorträge. Aufsätze: 1) 12 Themata wurden zur beliebigen Auswahl gestellt. 2) Eine beliebige metrische Uebersetzung von Gedichten lateinischer Classiker, 3) die sittlichen Grundsätze des Socrates nach Platon's Criton; außerdem 11 Themata 4) Metrische Behandlung einer der in der Literaturgeschichte vorgetragenen Sagen. 5) 14 Themata zur Auswahl. 6) Ein unbestimmtes, selbst zu wählendes Thema. 7) Charakterschilderung des Orest nach Goethe's Iphigenie. 3 St. Professor Dr. Deuschle.

Latein. Im W.: Cicero in Verr. lib. V; im S.: Cic. de leg. agrar. II; in beiden Halbjahren Tac. Annales III und IV. Dazu privatim Cicero Cato maior und de imperio Pompeii, Tacitus Germania. 3 St. Häusliche Aufsätze, Klassen-Aufsätze, Extemporalien und andere stilistische Uebungen. 2 St. In beiden Halbjahren: Horat. Carm. I, 12—III extr. 2 St. Professor Zumpt. Themata der Aufsätze: erstes Halbjahr a) L. Aemilii Pauli ad senatum epistola de rebus contra Persen gestis. — Thrasybulus Athenienses adhortatur, ut triginta tyrannis expulsis patriam liberent. — Disputetur de Horatiano (Od. I, 4, 15): vitae summa brevis spem nos vetat inchoare longam. — Quae bella in Sicilia antiquis temporibus gesta sint? — Quibus de causis Athenienses bello Peloponnesiaco victi sint? b) De P. Scipione Africano. — Themistoclem de Graecorum libertate optime meruisse. — Num M. Brutus impie fecerit, quod C. Caesarem occidit. — De Alexandri magni ingenio ac moribus. — C. Caesar in bello Ariovisti milites adhortatur. Für beide Abtheilungen als Klassen-Aufsatz: De Atheniensium ingenio. Zweites Halbjahr: a) Athenienses nulla re maiorem gloriam esse consecutos quam litteris et artibus. — De Romanorum in bellis gerendis constantia. — C. Marii ad senatum epistola, qua quintum consulatum petit. — Darius Codomannus Alexandro pacem offert. b) De L. Sullae laude. — Num Cicero vere dixerit, patria nihil esse carius. — Hippias Dario persuadet, ut expeditionem adversus Athenienses suscipiat. — Uter melior imperator fuisse videatur, P. Scipio an Hannibal. Für beide Abtheilungen als Klassen Aufsatz: De Lacedaemoniorum virtutibus.

Griechisch. Homeri Ilias Buch 1—6 incl. und 4 Bücher privatim; dann im W.: Platons Kriton und Apologie; im S.: Demosthenes 1ste und 2te Olynthische Rede. Exercitien und Extemporalien. 6 St. Professor Dr. Deuschle.

Französisch. Wie Ober-Prima.

Mathematik. Im W.: Gleichungen 2 St. Mathematische Uebungen 2 St. Im S.: Stereometrie 2 St. Reihen 2 St.

Physik. Im W.: Electricitäts-Lehre 2 St. Im S.: Mechanik 2 St.

Geschichte. Die Geschichte der neuen Zeit wurde vorgetragen. Die ersten 10 Tabellen von Hirsch wurden gelernt und vielfach repetirt. Geographische Repetitionen wurden angestellt und in jeden Ferien dazu eine Charte angefertigt. 3 St. Dr. Foß.

Hebräisch. Mit Ober-Prima vereinigt.

Zeichnen. Wie Ober-Prima.

Ober-Secunda.

Ordinarius: Professor Bresemer.

Religion. Im W.: Einleitung in sämmtliche A. T. Schriften; im S.: Einleitung in die sämmtlichen Schriften des N. T., nebst Erläuterung der wichtigsten Stellen nach dem griechischen Texte. Als häusliche Aufgabe wurden Kirchenlieder gelernt und bereits gelernte wiederholt. 2 St. Uhlemann.

Deutsch. Im W.: Declamation und Vortrag einzelner selbstgearbeiteter Aufsätze, welche sich an die Gedichte anschlossen; im S.: freie Vorträge nach dem Nibelungenliede. Aufsätze: 1) Wer wird Alles gleich ergründen; wenn der Schnee schmilzt, wird sich's finden. 2) Wallensteins Lager. 3) Schätze hebt man schweigend. 4) Der Taucher von Schiller. 5) Die Lombardische Tiefebene. 6) Der König und Dichter; eine Parallele (Schillers Jungfrau von Orleans). 7) Der Freiherr von Attinghausen (Schillers Wilhelm Tell). 8) Die Rede der Locrenser (Liv. l. 29 c. 16, 17, 18). 2 St. Dr. Foß.

Latein. In beiden Halbjahren: Cic. orat. p. Sex. Roscio Amerino; privatim die beiden ersten Reden gegen Catilina; Titi Livi lib. XXIX. privatim lib. XXVIII c. 36 bis zu Ende des Buches. Im ersten Halbjahre wurde ein Abschnitt aus Cicero, im zweiten aus Livius gelernt. 4 St. Wiederholung der lateinischen Grammatik mit Rücksicht auf stilistische Anwendung, dabei einzelne Theile der Syntaxis ornata; Exercitien, Extemporalien, mündliche Uebungen. 4 St. Bresemer. Virg. Aen. XI—XII und I—II. Auswendig gelernt wurde Georg. IV., 458 bis zu Ende. 2 St. Zumpt.

Griechisch. In beiden Halbjahren: Homeri Odyss. XX—XXIV und XIII—XV. Eine Stelle aus dem 2. Buche wurde auswendig gelernt. 2 St. Xenoph. Memorab. Socr. lib. IV, 2; Lysias Reden gegen Eratosthenes und Agoretus. 2 St. Wiederholung der Grammatik, Einübung der Lehre vom Gebrauche der Casus, Präpositionen, Genera Verbi, einiger Hauptregeln über den Gebrauch der Modi in Exercitien, Extemporalien, mündlichen Uebungen, 2 St. Bresemer.

Französisch. In beiden Halbjahren: Goebels Bibliothek Bd 5, 15, 17 wurde gelesen; dazu Uebungen im mündlichen und schriftlichen Uebersetzen aus dem Deutschen ins Französische. 2 St. Dr. Strack.

Mathematik. In beiden Halbjahren: Ebene Trigonometrie. 2 St. Algebra. 2 St. Schellbach.

Physik. Allgemeine Physik. 2 St. Schellbach.

Geschichte. Römische Geschichte. Die 8 ersten Tabellen aus dem Hirsch wurden gelernt und repetirt. Charten wurden gezeichnet und daran geographische Repetitionen geknüpft 3 St. Dr. Foß.

Hebräisch. Im W.: Das Buch der Richter Cap. 1—16; im S.: das Buch Josua Cap. 1—10. Außerdem wurden mündliche und schriftliche Uebungen aus dem Deutschen in das Hebräische zu übersetzen angestellt und die unregelmäßigen Zeitwörter zu Anfang jedes Semesters wiederholt. 2 St. Uhlemann.

Zeichnen. S. Ober-Prima.

Unter-Secunda.

Ordinarius: Professor Böhm.

Religion. Im W.: Das Evangelium des Johannes; im S.: Apostelgeschichte im griechischen Texte. Als häusliche Arbeiten: Auswendiglernen der vorzüglichsten Kirchenlieder. 2 St. Uhlemann.

Deutsch. Aufsätze nach vorhergehender Besprechung der Themata-Uebungen im Declamiren; in Verbindung damit wurde im Winter Luise von Voß, im Sommer Herrmann und Dorothea gelesen und nach geschehener Vertheilung vollständig vorgetragen. Im W.: Prof. Böhm, im S.: Dr. Schottmüller. Die Themata der Aufsätze waren: 1) Die Heimkehr (Idylle). 2) Metrische Uebersetzung eines Abschnittes aus Virgil's Aeneide. 3) Characteristik des Pfarrers in der Luise von Voß. 4) Reichthum ist ein Glück, er hat aber auch seine Gefahren. 5) Was bewegt den Jüngling sein Freiheitsgefühl willig zu beschränken? 6) Darstellung des Kampfes zwischen Cäsar und den Helvetiern. 7) Charakteristik des Wirthes in Herrmann und Dorothea. 8) drei Fabeln: a) Unrecht Gut gedeihet nicht. b) Untreue schlägt den eigenen Herrn. c) Mitgefangen, mitgehangen. 9) Abenteuer des Odysseus auf der Insel der Circe. 11) Welches waren die Verhältnisse Roms, die Catilina ein Gelingen seiner Pläne hoffen ließen?

Lateinisch. 1) Im W.: Livius lib. VI—VII, 15, memorirt wurde lib. VII c. 2, 5 u. 6. Im S.: Cic. orat. Catilin. I—IV, memorirt I, c. 1—7. 4 St. 2) Virgil's Aeneis IV—VI, 123. Einzelne Abschnitte wurden auswendig gelernt. Metrische Uebungen. 2 St. 3) Grammatik, besonders Wiederholung der Moduslehre, Exercitien und Extemporalien. 4 St., zusammen 10 St. Prof. Böhm.

Griechisch. In beiden Halbjahren: 1) Homer IX u. X. Dabei Erlernung des ersten Theiles der „Paradigmen zum Homerischen Dialect von Drogan" und des Abschnittes II 1—79 und X 1—76. 2 St. 2) Xen. Cyrop. lib. III c. 2.—V c. 2. 2 St. 3) Wiederholung der Grammatik, besonders der verba anomala, Exercitien und Extemporalien. 2 St., zusammen 6 St. Böhm.

Französisch. Repetition der Formenlehre, namentlich der unregelmäßigen Verba: die Lehre vom Participe und einige andere wichtige Regeln der Syntax; regelmäßiges Memoriren und Einüben von Vocabeln nach Plötz' Petit vocabulaire; Lectüre von Goebel's Bibliothek Band XVI und XVII. 2 St. Dr. Strack.

Mathematik. 1) Arithmetik: Allgemeine Potenzlehre, Gleichungen des ersten Grades mit mehreren und des zweiten Grades mit einer unbekannten Größe. 2 St. 2) Geometrie: Aehnlichkeit, Kreismessung. 2 St. 3) Geometrische Aufgaben. 1 St. Zusammen 5 St. Oberlehrer Dr. Luchterhandt.

Geschichte. Alte Geschichte bis 336 vor Chr. Die ersten 6 Tabellen von Hirsch wurden gelernt und vielfach repetirt. Geographische Repetitorien. 3 St. Dr. Foß.

Zeichnen. S. Ober-Prima.

Ober-Tertia.

Coet. I. Ordinarius: Oberlehrer Rehbein.

Religion. Luthers Katechismus. Auswendig gelernt wurden Kirchenlieder und Bibelsprüche, und die in den anderen Klassen gelernten wiederholt. 2 St. Oberlehrer Rehbein.

Deutsch. Ausarbeitungen über vorher besprochene Themata. Uebungen im Declamiren. Lectüre der „Auswahl deutscher Gedichte" von K. E. P. Wackernagel. 2 St. Prof. Walter.

Lateinisch. Caesar de bello civili lib. II und III. 4 St. — Ausgewählte Stücke aus Ranke's Chrestomathie, von denen einige auswendig gelernt wurden. Uebungen im Anfertigen lateinischer Verse. 2 St. Syntax nach Zumpt's Grammatik Cap. 77—83. Wiederholung der Casuslehre. Mündliche Uebersetzungen aus Otto Schulz' Aufgaben, wöchentliche Exercitien und Extemporalien. 4 St., zusammen 10 St. Rehbein.

Griechisch. Xenophons Anabasis Buch V und VI. 4 St. Einübung der Verba auf μι und der Anomala. Wiederholung des früheren Pensums; wöchentliche Exercitien und Extemporalien. 2 St., zusammen 6 St. Rehbein.

Französisch. Cursorische Lectüre des Charles XII. von Voltaire, Buch V und VI. Einübung der wichtigsten syntaktischen Regeln durch Exercitien und Extemporalien nach Herrmann's Grammatik. 2 St. Walter.

Mathematik. a) Arithmetik: Ausziehung der Kubikwurzeln und Gleichungen des ersten Grades mit einer und mehreren unbekannten Größen. b) Geometrie: Die Kreislehre und leichtere geometrische Aufgaben. 3 St. Luchterhandt.

Geschichte. Im W.: Die Geschichte der neueren Zeit. Im S.: Die Geschichte der orientalischen Völker und der Hellenen nach Dielitz' Grundriß. Daneben Repetitionen nach Hirsch' Tabellen. 2 St. Walter.

Geographie. Europa nach physischen und politischen Verhältnissen. Uebungen im Kartenzeichnen an der Tafel und auf dem Papier. 2 St. Derselbe.

Naturgeschichte. Im W.: Oryktognosie. Im S.: Geologie und Geognosie. — Die Mineralien-Sammlung, welche die Anstalt besitzt, gab Gelegenheit, die besprochenen Fossilien zur Anschauung zu bringen. 1. St. Oberlehrer Jacoby.

Zeichnen. S. Ober-Prima.

Coet. II. Ordinarius: Oberlehrer Dr. Geisler.

Religion. Im W.: Erklärung des 2., 4. und 5. Hauptstücks. Repetition der übrigen. Im S.: Erklärung des Evangeliums Lucä. Kirchenlieder in beiden Semestern. Prof. Deuschle

Deutsch. Ausarbeitungen über vorher besprochene Themata. Uebungen im Declamiren Lectüre der „Auswahl deutscher Gedichte" von Dr. K. E. P. Wackernagel. 2 St. Oberl. Dr. Geisler.

Lateinisch. Caesar de bello civili lib. I, II, III c. 20. 4 St. Ausgewählte Stücke aus Ranke's Chrestomathie, welche auswendig gelernt wurden. Uebungen im Anfertigen lateinischer Verse. 2 St. Syntax nach Zumpt's Grammatik Cap. 77—83. Wiederholung der Casuslehre. Mündliche Uebersetzungen aus Schulz' Aufgaben, Exercitien und Extemporalien. 4 St., zus. 10 St. Geisler.

Griechisch. Xenophons Anabasis Buch I und II. 4 St. Wiederholung des früheren Pensums, Einleitung der Verba auf μι und der Anomala; Extemporalien und Exercitien. 2 St. zus. 6 St. Geisler.

Französisch. Cursorische Lectüre des Charles XII. von Voltaire, Buch I und II. Einübung der wichtigsten syntaktischen Regeln durch Exercitien und Extemporalien nach Herrmann's Grammatik. 2 St. Walter.

Mathematik. a) Arithmetik: Ausziehung der Kubikwurzel und Gleichungen des ersten Grades mit einer und mehreren unbekannten Größen. b) Geometrie: Die Kreislehre und leichtere geometrische Aufgaben. 3 St. Im W.: Luchterhandt; im S. Koniecki.

Geschichte. Im W.: Die Geschichte der neueren Zeit. Im S.: Die Geschichte der orientalischen Völker und der Griechen nach Dielitz' Grundriß. Daneben Repetitionen nach Hirsch' Tabellen. 2 St. Walter.

Geographie. Europa nach physischen und politischen Verhältnissen. Uebungen im Kartenzeichnen an der Tafel und auf dem Papier. 2 St. Derselbe.

Naturgeschichte. Im W.: Oryktognosie. Benutzung der Mineralien-Sammlung der Anstalt. Im S.: Geologie und Geognosie. 1 St. Jacoby.

Zeichnen. S. Ober-Prima.

Unter-Tertia.

Coet. I. Ordinarius: Oberlehrer Dr. Strack.

Religion. Die christlichen Feste und Luthers kleiner Katechismus, besonders das erste und das dritte Hauptstück, wurden erklärt; dazu passende Lieder und Bibelverse. 2 St. Dr. Strack.

Deutsch. Aufsätze erzählenden Inhalts nach deutschen Gedichten oder nach Bruchstücken aus der lateinischen Lectüre; Einübung der wichtigsten stilistischen und syntaktischen Regeln; Uebungen im Declamiren. 2 St. Strack.

Latein. Repetition der gesammten Formenlehre, 1 St.; gelesen wurden Caes. de bello Gall. VII. und I., verbunden mit Uebungen in der Verwandlung der indirecten Rede in die directe, 4 St.; desgleichen mehrere Stücke aus Ranke's Chrestomathie, 1 St.; Erklärung und Einübung der Casuslehre nach Zumpt Cap. 69—74., 2 St.; Exercitia und Extemporalia, 2 St., zusammen 10 St.; auswendig gelernt wurden Caes. VI., 13—20. und ein Theil der gelesenen poetischen Stücke.

Griechisch. Wiederholung und Erweiterung des grammatischen Pensums der Quarta. — Das verbum purum und impurum und einige häufig vorkommende verba anomala. — Mündliches

und schriftliches Uebersetzen mythologischer Erzählungen aus Jacobs und der äsopischen Fabeln, nebst etlichen des Babrius; Auswendiglernen der Fabeln. — Einübung des grammatischen Pensums und einiger syntaktischer Regeln durch Exercitien und Extemporalien. 6 St. Prediger Martiny.

Französisch. Wiederholung der regelmäßigen Conjugation. Einübung der Pronoms, n Verbindung mit dem Verbum. Mündliche und zum Theil schriftliche Uebersetzung aus dem Elementarbuche von Ploetz, 9te Aufl., St. 60 bis 69. Gelernt wurden die unregelmäßigen Verba, gelesen die kleineren Erzählungen aus Herrmann's Grammatik. 2 St. Lehrer Borchard.

Mathematik. Arithmetik: Die Anfangsgründe der Buchstabenrechnung und die Ausziehung der Quadratwurzel. 2 St. Geometrie: Mehler's Hauptsätze u. s. w. §. 1. — §. 57. 1 St. Dr. Luchterhandt.

Geschichte. J. W.: die Geschichte der Römer; i. S.: die der Orientalen und Griechen. Gelernt wurden die ersten 3 Tabellen von Hirsch. 2 St. Kawerau.

Geographie. J. W.: Amerika und Afrika, i. S.: Asien und Australien. Die Karten der genannten Erdtheile wurden gezeichnet. 2 St. Kawerau.

Naturgeschichte. J. W.: die Säugethiere, i. S.: Botanik. 1 St. Oberl. Jacoby.

Coet. II. Ordinarius: Lehrer Borchard.

Religion. J. W.: das dritte, i. S.: das erste Hauptstück; dazu wurden passende Sprüche, sowie eine Anzahl Kirchenlieder gelernt und wiederholt. 2 St. Kawerau.

Deutsch. Aus Bachs Lesebuch wurden Stücke gelesen und in Rücksicht auf den Sinn und die Grammatik durchgegangen. Declamirübungen; Aufsätze (Erzählungen, Beschreibungen). 2 St. Kawerau.

